

www.e-rara.ch

Regale sacerdotium Romano pontifici assertum

Sfondrati, Celestino

Typis Monasterij S. Galli, Anno 1693

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-117287>

Liber I.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



LIBER I.

PROPOSITIO I.



Erum temporalium, & Civilium
 curam Principibus sæcularibus
 primario & directè concredi-
 tam esse, ingenuè fatendum est:
 quos Ecclesia Christi ut advoca-
 tos, protectores, & Justitiæ ad-
 ministros semper venerata est, tamquam illos,
 qui gladium à Deo acceperunt ad defensionem bono-
 rum, vindictam verò malorum: tamquam septuaginta
 illos fortes, qui custodiunt lectulum Salomonis, omnes ac-
 cinctos gladijs propter timores nocturnos, & ad bella for-
 tissimos: & denique ex vaticinio Prophetæ: tan-
 quam Nutritios & Altores, quorum lacte & divi-
 tijs se impinguatam & agnoscit, & ingenuè
 profitetur: adeò ut ex præscripto Apostoli
 Principibus non bonis tantum & modestis, sed etiam
 dyscolis omnem reverentiam, & subjectionem
 præstandam esse sentiat, & doceat: nulloque
 pacto in illorum jura, & administrationem,
 velut

velut in alienam messem, falcem à Sacerdotibus mitti patiatur, quamdiu videlicet Ecclesiam, veramque Religionem, cujus filij sunt, aut venerantur, aut saltem in discrimen non adducunt. Ubi enim aram Religionis invaderent, & vastandæ Ecclesiæ, potentiam à Deo acceptam, admoverent; posse illos à summo Pontifice Christi que Vicario, cui tamquam oves supremo Pastori crediti sunt, & Ecclesia coerceri, & nisi acquiescant monenti, etiam exarmari, ne noceant, regnisque privari, dicendum est: *si enim, teste Apostolo, etiam Angelos judicabimus, quanto magis secularia?* maximè cum Pastoris officium, & cura sit morbidas infectasque oves ab integris separare, luposque non voce tantum, sed etiam virgâ pastorali arcere, hancque sententiam tamquam divinis litteris expressam, usu omnium sæculorum confirmatam, SS. Patrum non doctrinis tantum, sed exemplis etiam subnixam, & præsertim à sacris Canonibus, sanctisque universalibus Concilijs clarissime assertam, omniumque ferè Doctorum calculis traditam, & cum recta ratione necessario connexam, omnino retinendam esse.



§. I.

Pontifici Romano in Principes seculares, eorumque Provincias & Regna Jus aliquod & potestatem dari, non tamen ordinariam & directam.

SUMMARI A.

1. *Necessariam Pontifici Maximo esse aliquam in Principes potestatem.*
2. *Non tamen ordinariam & directam, quod Ipsorum Pontificum testimonio evincitur.*
3. *Et sententiâ D. Bernardi.*
4. *Et Ratione.*

I.

Prima Parisiensis Propositio omnem in Reges potestatem adimit Vicario Christi, jubetque unâ clave contentum, quâ cælum aperit, alteram, terrâ destinatam, Regibus relinquere. Contrarium paullo post ostendemus: cum enim tanta sit cælestium cum terrestribus conjunctio, & Principes eodem sceptro, quo Regna moderantur, Religionem simul, fidemque aut concutiant, aut custodiant: & quemadmodum ægro corpore anima quoque laborat, nec operationibus naturæ suæ congruis defungi potest; sic ægrâ, corruptâque Republicâ, non potest Religio florere, quod nimium exempla demonstrant eorum Principatum, in quibus ex Principum erroribus, inertîâ, mutatione Religionis, eadem mala in populos derivata sunt, & tandem cum animarum tanta, æternaque clade

fides

fides Catholica penitus deleta; quod nuper in Angliæ Regno manifestè apparuit, ubi quantum sub Henrico VIII. Rege Schismatico Catholica Religio damni est passa, tantum sub Maria Principe Catholica refluoruit, & sub Elisabetha omnino extincta est, memorabili exemplo ex Principum nutu, & voluntate non facultates tantùm subditorum, sed etiam animas pendere. Sic cùm Gustavus Erichsonius Sueciæ Rex Lutheri partes amplexus esset, eâ præsertim ratione inductus, ut regium ararium Ecclesiasticis bonis repletet; ejus exemplum usque in hanc diem toti Regno fatale fuit. Idem Regno Daniæ infortunium Christiano III. ad Lutherum dilapso. (a) Non potuit ergo Summo Ecclesiæ Pastori una potestas sine altera concedi, spiritualis videlicet sine temporali, cùm unam sine altera tueri non possit, & idè juxta celeberrimum Juristarum axioma: concessio uno, conceduntur omnia, quæ ad illud sunt necessaria. (b)

II. Hanc tamen potestatem non esse directam, & ordinariam, efficacissimè probatur Ipsorum Pontificum confessione. Nicolaus I. Epistola 8. ad Michaëlem Imperatorem sic loquitur: Quoniam idem mediator DEI & hominum homo Christus JESUS, sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusq; discrevit propria, volens medicinali humilitate hominum corda sursum efferrè, non humanâ superbiâ rursus in inferna demergi: ut & Christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incurfibus, & idè militans Deo minimè se negotijs secularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotijs secularibus implicatus. Ex cap. quoniam. dist. 10.

Idem Nicolaus in eadem Epistola ad Michaëlem: Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typicè Reges simul, & Sacerdotes existerent; quod sanctum Melchisedech fuisse sancta producit historia, quodq; in membris suis Diabolus imitatus (utpote qui semper, quæ divino cultui conveniunt, sibi met tyrannico Spiritu vindicare contendit) ut pagani Imperatores, idem & Maximè Pontifices dicerentur. Sed cùm ad verum ventum est, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit. cap. 6. dist. 96.

T

Stepha-

(a) Vide Maymb. l. 1. Luther. fol. 126.

(b) Cap. translato. 3. de Const. l. 2. ff. de jurisdic. & l. avibus. 66. ff. de legat. 3.

Stephanus VI. Papa Basilio Imperatori: Rectè noverit, inquit, Pia potentia tua, quòd manui regia non subjiçatur sacerdotalis, & Apostolica nostra dignitas. Luet enim Ipsius Christi Imperatoris similitudinem in terris geras, rerum tamen mundanarum, & civilium tantum curam gerere debes: quod etiam precamur, ut ad multos annos prestare valeas. Quo igitur pacto à Deo largitus es nobis, terrenis rebus præesse: ita etiam nos per Principem Petrum spiriualibus rebus Deus præfecit, &c. Accipe, quaso te, benignà fronte, qua sequuntur. Datum est tibi curare, ut tyrannorum impietatem & feritatem gladio potentia concidas, ut justitiam ministros subditis tuis, ut leges condas, ut terrâ mariq; militares copias disponas. Hac est præcipua cura potentia, & principatus tui. Gregis cura verò nobis commissa est tanto præstantior, quantum distant à coelo ea, qua in terris sunt, &c. Si ovis Dei existis (quod in votis habemus) ne transgrediaris limites Principum Apostolorum. (a)

Gregorius II. Ad Leonem Isauricum Imperatorem: Obsecutus es perversi animo tuo, ac domesticis perturbationibus, & scripsisti: IMPERATOR SUM, ET SACERDOS. Et post pauca. Audi humilitatem nostram, Imperator, & ecce! tibi palatij, & Ecclesiarum scribo discrimen, Imperatorum, & Pontificum; agnosce illud, & salvare, nec contentiosus esto. Nam quemadmodum Pontifex introspectiendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates Regias deferendi, sic neque Imperator in Ecclesiam introspectiendi, & Electiones in Clero peragendi, &c. (b)

Alexander III. Oxoniensi Episcopo, & Decano Lundonensi: Denique quod quaris: si à civili iudice ante iudicium, vel post ad nostram audientiam fuerit appellatum, an huiusmodi appellatio teneat? tenet quidem in his, quòd sunt nostra temporali iurisdictioni subiecti: in alijs verò etsi de consuetudine Ecclesia teneat, secundum juris rigorem credimus non tenere. cap. 7. de appellat.

Idem Alexander III. Lundonensi & Vigornienfi Episcopis: Nos attendentes, quòd ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam, de possessionibus iudicare, ne videamur juri Regis Anglorum detrabere, qui ipsarum iudicium ad se afferit pertinere; Fraternalitati Vestra mandamus, quatenus Regi possessionum iudicium relinquentes de causa principali, videlicet, utrum Mater de legitimo sit matrimonio nata, plenius cognoscatis, & causam huiusmodi terminetis. cap. 7. qui filij simi legitimi.

III. Eadem est D. Bernardi sententia, qui lib. 1. de consideratione cap. 6. ad Eugenium Pontificem sic scribit: Non monstrabunt, puto, ubi aliquid quando

(a) V. Baron. ad ann. DCCCLXXXV.

(b) V. Baron. ad ann. DCCXXVI.

quando quispiam Apostolorum iudex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Sciisse denique lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego. Erit illud, non fuit. Ilane imminutor est dignitatis servus, si non vult esse major Domino suo: aut discipulus, si non vult esse major eo, qui se misit: aut filius, si non transgreditur terminos, quos posuerunt patres sui? quis me constituit iudicem, ait ille, Dominus & Magister: & erit injuria servo discipuloq; nisi iudicet universos? Mihi tamen videtur bonus aestimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu Apostolicis viris, non iudicare de talibus, quibus datum est iudicium in majora. Quidam contemnunt iudicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in caelestibus, & Angelos iudicabunt? Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, & non propter has, accepistis claves regni caelorum, pravaticatores utique exclusuri, non possessores. Ut sciatis, ait Christus, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c. Quanam tibi major videtur & dignitas, & potestas dimittendi peccata, an pradia dividendi? sed non est comparatio. Habent hac infima, & terrena iudices suos, reges & principes terra. Quid fines alios invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? non quia indigni Vos, sed quia indignum Vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. Denique ubi necessitas exigit, audi quid censeat non ego, sed Apostolus: Si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? Sed aliud est incidenter excurrere in ista causa quidem urgente, aliud ultro incumbere istis tamquam magnis, dignisq; tali & talium intensione rebus. &c.

Haecenus D. Bernardus. Ubi vides duas ab illo constitui potestates rerum temporalium, unam ordinariam, quam Regibus adscribit; aliam incidentem, & causâ urgente, quam in Pontifice maximo agnoscit. Idem D. Bernardus, lib. 4. de consideratione cap. 3. Pontificem sic alloquitur: Pastorem te populo huic cerere aut nega, aut exhibe. Non negabis, ne cuius Sedem tenes, Te neges Haredem. Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vehtus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum: Si amas me, pasce oves meas. In his successit non Petro, sed Constantino. Consulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito. Ad ea te potius incito, quorum te scio debitorem. Etsi purpuratus, etsi deauratus incedens, non est tamen, quod horreas operam, curamq; Pastorem Pastoris haeres: non est, quod erubescas Evangelium. Quamquam si volens evangelizes, inter Apostolos quidem gloria est tibi? evangelizare, pascere est. Fac opus Evangelista, & Pastoris opus implesti. Di acones,

inquis, me mones pascere, & scorpiones, non oves. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos non ferro, sed verbo. Quid Tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere Verbum Domini dicens sic: Convertite gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tuâ manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad Te pertineret & is; dicentibus Apostolis; Ecce gladij duo hîc; non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est; uterque ergo Ecclesia, & Spiritualis scilicet gladius, & materialis; sed hic quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exerendus est. Ille Sacerdotis, hic militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris, &c.

IV. Hæc Summorum Pontificum, & D. Bernardi sententia omnino rationi consona est. Potestas enim data est Pontificibus in ædificationem, non destructionem, teste D. Paulo 2. ad Cor. 10. v. 8. esset verò potius in destructionem, si pro libitu instar ordinariæ ad temporalia se extenderet. Primò enim impediret ipsam potestatem, curamque spiritualem, quam in omnes totius mundi Ecclesias ex officio Papa exercet, quantoque plus curæ temporalibus, tantò minùs spiritualibus impenderet, distractis in diversa viribus, & idèò minutis: idque cum maxima animarum pernicie; si enim ubi etiam in solam rem Ecclesiasticam, causasque Religionis unicè incumbitur, tam multa negligi videmus, quid fieret, accedente Regnorum cura? quam rationem Apostolus expressit. 2. ad Timoth. 2. v. 4. *Nemo, inquit, militans DEO implicat se negotijs secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.*

Deinde, cum oporteat inter Pontificem Max: Regesque velut inter communem omnium Patrem, Filiosque summam pacem, animorum conjunctionem, mutuamque auxilium intercedere, contrarium potius eveniret, communicato Imperio; essentque inter utrumque discordia, lites, simultates, & bella perpetua, sunt enim Imperia velut conjugia, quæ thori socium non admittunt; & ut canit Poëta.

*Nulla fides regni socijs, semperq, potestas
impatiens consortis erit.*

Inter mutuas ergo contentiones, & pugnancia Regum, & Papæ decreta Republicæ, & Regna perirent. Inter ipsos Principes temporales sunt quotidiana dissidia, in quibus si ordinariam iudicandi potestatem Papæ concedamus, dum pro uno pronunciat, alium

alium necessariò offendet, exutà, quæ communem Patrem decet, in omnes æ qualitate, amissòque, dum uni studet, aliorum amore, præsertim si Pontifex aliquis contingeret, aut minus affectuum potens, aut partibus addictus. Docuit tot sæculorum experientia, summo Pontifice hanc in Reges potestatem etiam rarò usurpante, & intra necessitatem, Principes tamen gravissimè offendi; Regna, populosque turbari, armarique; quæ omnia ipsa quidem necessitas excusat, metusque pejorum, & acerbitas morbi extrema postulantis: quid ergo fieret, si passim, & pro lubitu adhiberetur? Denique Principes ipsi suis in Regnis nati, educati que mores, consuetudines, legesque locorum, & melius callent, & aptius necessaria provident: & quia præsentem majorem sibi venerationem amoremque vendicant, nec facilè decipiuntur, cum rebus ipsis, & negotijs adstant: quæ omnia secus habent in Pontifice absente extraneo, rerumque, quæ procul fiunt, ignaro, & plerumque alienis oculis vidente. Hæc omnia, ut diximus, efficaciter convincunt, non fuisse necessariam Ecclesiæ, immo noxiam Pontificis Romani in Principes potestatem, nec à Deo concessam, nisi fide, ac Religione periclitante.

Neque obstat, Papam esse Vicarium Christi, sicq; omnia posse, quæ Christus potuit: Nam Vicaria potestas Papæ concessa terminos suos habet, legem videlicet divinam, & Ecclesiæ utilitatem, extra quos proferri non debet: De jure divino expressi sunt textus in *c. sunt quidam. &c. contra statuta. 25. q. 1.* de utilitate verò Ecclesiæ habemus D. Pauli testimonium. *2. ad Corinth. 10. v. 8.* & sicut Vicarius non omnia potest, quæ Principalis, hoc est, illa, quæ speciali nota digna sunt, & mandatum expressum requirunt. *c. 3. de off. Vicar. in 6. c. 2. eod.* Ita nec Papa potest omnia, quæ Christus v. g. Sacramenta nova instituire, abrogare antiqua, dispensare in vinculo Matrimonij, bigamiam simultaneam concedere, quæ omnia pertinent ad potestatem excellentiæ, nulli hominum, nec Pontifici quidem communicatam. (a)

(a) Vide Cajetan. 2. 2. q. 83. a. 12.





§. II.

Esse in Ecclesia, & in Capite Ecclesie, Romano vid. Pontifice potestatem indirectam, cum urget necessitas tuende Religionis, in Reges, eorumq; bona temporalia, ex sacris litteris demonstratur.

SUMMARI A.

1. *Textus sacre scripturae expensi, & primò exemplum Azariae Pontificis.*
2. *Fojada Pontificis, & Phineës sacerdotis: ac exempli utriusq; moderatio.*
3. *Elia Propheta.*
4. *Locus D. Pauli. 1. ad Cor. 6. junctâ PP. explicatione.*
5. *Locus Matthæi 26. ratione, & auctoritate illustratus.*
6. *Locus S. Joannis cap. uli.*
7. *Alij textus apud Mattheum 28. de duobus gladijs, & Luca 22.*

I.
UT à sacris litteris initium ducamus, occurrit primo loco exemplum observatione dignum. 2. Paralip. 26. ubi Ozias Rex, quamdiu Pontificis Azariae mandato, & consilij paruit; gloriâ, & victorijs floruit, ubi verò sacerdotis officium usurpat, leprâ percussus templo & Regno à Pontifice pellitur, & Imperium filio traditur. Verba scripturae hæc sunt: *Sed cum roboratus esset Ozias, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum DEUM suum, ingressusq; templum Domini adolere voluit*

luit incensum, super altare thymiamatis. Stating³ ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officij Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi Ministerium: egredere de Sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratusq³ Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Stating³ orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis. Cumq³ respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & festinato expulerunt eum. Sed & ipse perterritus, acceleravit egredi, ed quodd sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leprosus usque ad diem mortis sua: & habitavit in domo separata, plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Porro Joatham filius ejus rexit domum regis, & judicabat populum terram. Nota Regem à sacerdotibus non tantum ut templo exiret, rogatum esse, sed etiam compulsum, & à reliquo populo summi Pontificis arbitrio separatum, & hoc ipso regno exutum esse: Sic enim habetur, Levitici 13. v. 44. Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis &c. solus habitabit extra castra. Sicut ergo ad Sacerdotem pertinebat de lepra Principis cognoscere, & si reperisset infectum, à commercio populi excludere, sicque inhabilem Regno pronuntiare; multò magis in nova lege ad summum Sacerdotem pertinebit de lepra spirituali iudicium ferre, & si periculum ex illa Fidelibus imminet, Regnum Principi adimere, ne exemplo, imperio, & potentiâ Ecclesiam corrumpat: quæ causa fuit Adriano, Leoni, & Stephano Romanis Pontificibus, ut Imperatoribus Græcis non tantum in hæresin lapsis, eamque Decretis, & supplicijs Oriente toto propagantibus, sed etiam Occidentem invasuris, Imperium abrogarent. Et quamvis illud præceptum de lepra corporali à sacerdote cognoscenda iudiciale fuerit; potuit tamen etiam in lege Evangelica locum habere. (a) Immo quoad lepram spiritualem est præceptum morale, fundatumque in jure divino naturali; ut jam innuimus, & infra magis explicabitur.

II. Aliud exemplum est. 2. Paralip. 23. & 4. Regum 11. Ubi Joad Pontifex Athaliam, quæ Regno injustè occupato idolorum cultum invexerat, puniri jubet, & legitimum Regem solio restitui: Verba scripturæ sunt: Produxitq³ Joad Filium Regis, & posuit su-

per

(a) Per c. 1. de Homicidijs, & c. 1. cum seqq. de injurijs.

per eum diadema, & testimonium, feceruntq; eum Regem, & unxerunt, & plaudentes manu, dixerunt: Vivat Rex. Et post pauca. Præcepit autem Fojada Centurionibus, qui erant super exercitum, & ait eis: Educite Athaliam extra septa templi, & quicumq; eam secutus fuerit, feriatur gladio: Pepigit ergo Fojada fœdus inter Dominum, & inter Regem, & inter populum, ut esset populus Domini; & inter Regem, & Populum. Vides in hac historia Pontificem Maximum, cum alios animus deficeret, Reginam tyrannidis damnare, milites conscribere, legitimum Regem solio imponere, fœdus non tantum inter Regem & Deum, sed etiam inter Regem, & Populum, & conditiones dicere, remque civilem juxta, & militarem curare: Quo jure inquires? naturæ, & necessitatis, ne videlicet impio principe in thronum sublato, Religio sacerdotibus commissa profligeretur.

Si dicas, notoriam hanc fuisse Athalia tyrannidem nullo jure regnum involantis, & ided non à sacerdote tantum, sed quolibet subditorum potuisse regno, quod injuriâ tenebat, expelli. Respondeo: Quemadmodum Athaliam Summus Pontifex regno ejecit, quia nullo jure regnabat: eodem modo, si regnum aliquis sic administrat, ut Religioni, & fidei noceat, deponi imperio poterit, quia jus regnandi aut amittit, aut illo est indignus: potest enim aliquis vel ab ipsis initijs regno indignus esse, quia nullum jus regnandi habuit, ut tyranni: potest iterum indignus esse, quia licet regnum legitime ingressus, postea tamen jus regnandi amisit, aut meretur, ut amittat: utroque casu nullo jure regnatur; primo, quia non habuit; secundo, quia amisit: sicut æquè non videt, qui semper cæcus fuit, & qui aliquando cæcus evasit: æquè hæreditate caret, qui numquam adijt, & qui adijt quidem, sed postea delicto perdidit, ut patet exemplo Ozia: paria ergo sunt non habuisse, & perdidisse. Hoc tamen judicium cum sit de re gravissima, & capita Republicæ tangat, quibus omni iure venerationem debemus, soli Pontifici Max: reservatur, cui soli dictum est: *pascite oves meas*, ut infra ex cap. *ne aliqui. de privilegij in 6.* diceret: alioquin Republicæ atrocinijs plenæ, & parricidijs essent, quolibet qui Principi vim intulisset, causam, & salutem publicam præexente. Simile exemplum de Phineës summi Sacerdotis filio Numer. 25. habetur, cujus factum ex eo capite D. Thom. excusat. 2. 2. q. 60 ad 2. *Quia licet non esset summus Sacerdos, erat tamen summi Sacerdotis filius, & ad eum hoc videbatur pertinere, sicut & ad alios judices, quibus hoc erat præceptum.* Verba sunt D. Thomæ. Sed

Sed nota circa hæc duo exempla Athalia, & Phinees, in lege Evangelica non licere Sacerdotibus, multoque minus Pontifici Max. sanguinem alicujus, præsertim verò principis, ne quidem consulendo effundere, ut habetur in *cap. his, à quibus, &c. si in morte. 23. q. 8.* & eleganter Gratianus post *c. nos 2. q. 7.* Multa, inquit, concedebantur tunc, quæ nunc penitus prohibentur, miracula enim, & maxime Veteris testamenti, sunt admiranda, non in exemplum nostræ actionis trahenda: tunc enim Samuel Agag pinguisimum Regem Amalec in frustra dividendo conscidit: nunc nulli Ecclesiasticorum judicium sanguinis agitare licet. Tunc Phinees Judæum congressum cum Madianita interfecit, & reputatum est ei in justitiam: hodie Sacerdotibus in perniciem sui officij verteretur.

III. Eliæ Prophetæ hoc elogium ponit Spiritus Sanctus Ecclesiastici 48. *Quis potest similiter sic gloriari tibi? qui dejecisti Reges ad perniciem, & confregisti facile potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo, qui unguis Reges ad penitentiam, & Prophetas facis successores post te.* Reges quos unxit Elias fuere Azaël Rex Syriæ, & Jehu Rex Israel 4. Reg. 19. Si dicas Eliam id fecisse Dei jussu, non suâ sponte; id quidem verum est, sed idem Dei mandatum Summi Pontifices acceperunt, cum illis commissæ sunt Oves Christi, quarum custodia necessaridè requirit potestatem lupos arcendi, eosque, qui Ecclesiam invadunt, exarmandi, ne, si velint, possint nocere; hoc enim naturale jus defensionis, cum singulis natura permittat, quantò magis summo Pastori, in eos, qui Ecclesiam, ovesque Christi, ac sibi commissas animas aggrediuntur? hoc, inquam, casu poterit summus Pontifex exemplo Eliæ dejicere Reges ad perniciem & confringere potentiam ipsorum, & Reges ungere ad penitentiam; nam teste D. Ambrosio. *lib. 1. de offic. cap. 36.* & S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 6. ad 2. *Qui non repellit injuriam à socio cum potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit.*

IV. Efficax est etiam in hanc rem locus D. Pauli 1. ad Cor. 6. ubi sic loquitur: *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos: an nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? & si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia? Vides ex hoc textu S. Apostolum agnoscere in Sacerdotibus, & Apostolorum successoribus potestatem de rebus secularibus judicandi, eamque probare argumento à majori ad minus per illa verba: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia?* quasi dicat*

cat: qui idoneus est ad majora, multò magis erit idoneus ad minora, ut tibi loquitur D. Thomas: idque ob periculum, ne ex crebro cum infidelibus commercio, eorumque gratiam captandi causâ, fideles subvertantur. Sed Apostolis circâ majora occupatis, hanc potestatem judicariam vult ab alijs rerum forensium peritis exerceri, quos B. Apostolus *contemptibiles in Ecclesia* vocat, hoc est, respectu eorum, qui propagandæ Religioni, lucrandsque animabus student. Hunc locum sic intellexit B. Clemens SS. Petri & Pauli auditor in *Constitutionibus Apostolicis lib. 2. cap. 51. Quod oporteat in secunda sabbatorum cognoscere causas. Adfint autem judicio Diaconi & Presbyteri, integrè judicaturi, veluti Dei homines cum justitia. Cum utraque persona venerit, prout lex jubet, ambo, qui litigant, statuatur in medio Tribunali, iisque auditis, sanctè judicium pronuntiate: studentes ante sententiam Episcopi eos conciliare, ne exeat supra terram judicium in peccatorem, prout in Tribunali consortem, participemq, cause habet Christum Dei.*

S. Anacletus epistolâ ad omnes Episcopos, & Christi fideles. Si fuerit *seculare negotium, apud ejusdem Ordinis Viros terminetur, judicio tamen Episcoporum, cum Apostolus privatorum Christianorum causas magis Ecclesijs deferri, & ibidem Sacerdotali judicio terminari voluerit: omnis enim oppressus liberè sacerdotum appellet judicium, & à nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur, & liberetur.* S. Bernardus de *consideratione lib. 1. cap. 6. Mihi tamen videtur bonus estimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu apostolicis viris non judicare de secularibus, quibus datum est judicium in majora. Quidni contemnant judicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus & Angelos judicabunt.* Et post pauca. *Non quia indigni Vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupati. Denique ubi necessitas exigit, audi, quid censeat, non ego, sed Apostolus: si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis?* Eadem Gregorij VII. *Sententia lib. 8. epist. 21. Haber, inquit, Ecclesia Romana potestatem singulari privilegio concessam aperire, & claudere januas Regni cœlestis, quibus voluerit; cui ergo aperiendi, claudendiq, cœli data potestas est, de terra judicare non licet? absit. Num retinetis, quod ait Beatissimus Paulus Apostolus: nescitis, quia Angelos judicabimus, quanto magis secularia?* Idem docuit B. Gregorius Magnus. 2. parte *Pastoralis cap. 7. ubi ex allegato Apostoli textu agnoscit quidem potestatem in secularia Pastoribus datam, sed eâ uti non vult, ut tantò spiritualibus negotijs attentius operam navent.*

Meritò proinde Jacobus Tyrinus in hunc locum Apostoli: No-

ia, inquit, hæc judicia causarum secularium inter Christianos committi consue-
viffe Episcopis, vel delegatis ab Episcopo Presbyteris, ut constat ex Clemente Roma-
no, ex lege Theodosij, & Caroli Magni; & ex antiquo Ecclesia usu: Judices
enim in his causis sederunt Gregorius Thaumaturgus Neocæsariensis, SS. Am-
brosius, Augustinus, Synesius, alijsq; Episcopi: sed crescente nimis numero Chri-
stianorum simul & litium, onus hoc rejectum in humeros Judicum secularium
jam Christianorum, ne ut ab initio S. Petrus apud eundem Clementem recte mo-
nuerit, Episcopus præfocatus secularibus negotijs non possit vacare verbo Dei.

V. Huc etiam faciunt verba Christi Domini ad Petrum Mat-
thæi 16. v. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc petram adificabo
Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam: & quodcunq;
ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quod solveris super terram,
erit solutum & in cælis. Omnium PP. cum Latinorum, tum Græco-
rum sententia est, hæc verbis Petro promissum esse supremum, &
Monarchicum Ecclesiæ regimen, in his, quæ pertinent ad bonos
mores sanamque doctrinam: ergo etiam omnia media promissa
sunt necessaria, sine quibus illa conservari non possunt, & conse-
quenter in bona, & regna temporalia, quæ omnium consensu sunt
propter bona spiritualia tanquam media propter finem; concessio
enim sine, conceduntur omnia media illi necessaria, alioquin
concessio finis erit inutilis: Sicut concessio militari officio, datur
unà facultas arma gestandi, hostemque impunè ferendi; & factâ
Medico potestate ægrum curandi, conceditur etiam medicinas sa-
nitati necessarias applicandi, & si opus fuerit, etiam membrum infe-
ctum præcidendi, sic tamen, ut hoc remedium velut ultimum, ma-
gnoque dolori, incommodo, deformitati conjunctum non liceat,
nisi ut pejus malum vitetur, usurpare. Quæ consequentia ex Mat-
thæi verbis adducta non est imaginaria, & Chymerica, sed omni-
no ex natura rei desumpta, & à legislatoribus, ipsisque Principibus
approbata, sic enim loquuntur in l. 2. ff. de jurisdictione. Cui jurisdictio da-
ta est, ea quoq; concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest.
Quod optimè animadvertit Gregorius VII. l. 8. epist. 21. ubi: Habet
enim potestatem Ecclesia Romana singulari privilegio concessam aperire, & clau-
dere januas Regni cælestis, quibus voluerit. Cui ergo aperiendi, claudendiq; Cœ-
li data potestas est, de terra judicare non liceat? absit. Et S. Leo IX. in epist.
adversus præsumptiones Michaëlis Constantinopolitani, cap. 13. His, inquit,
& alijs quam plurimis testimonijs jam vobis satisfactum esse debuit de terreno,
& cælesti Imperio, immo de Regali Sacerdotio sancta Romana, & Apostolica

*Sedis, præcipuè super speciali ejus dispositione in Cœlis, si quoquomodo Christi-
stiani esse, vel dici optatis, & si ipsam Evangelij veritatem aperiri, quod absit,
non impugnetis. Vides quo loco S. Leo illos habeat, qui Romanæ
Sedi terrenum, vel cœleste Imperium abrogant.*

VI. Joannis ultimo sic habemus: *Cum ergo prandissent, dicit Si-
moni Petro JESUS: Simon Joannis diligis me plus his? dicit Et: etiam Do-
mine tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Hoc tertio repe-
tutum à Christo: hunc locum infra latiùs expendemus: jam hoc
solùm argumentum deducimus. Non est dubium, omnes Christi
fideles, omnesque Magnates ad Christi oves pertinere, & hoc ipso
eorum custodiam Petro, Petrique Successoribus commissam esse,
saltem quoad regimen spirituale, & illa, quæ salutem aternam
spectant; sed fieri potest, immo sæpe factum est, ut eorum saluti
expediat, aut etiam sit necessarium, eos in ordinem redigere; aut
potestatem, quâ sibi & alijs noceant, constringere; sicut Medicus
furioso potest, debetque gladium eripere: Cum ergo ad ovium
custodiam curamque hæc potestas fuerit necessaria, summo Pa-
stori omnino concessa est, aut si concessa non est, ergo in necessa-
rijs defuit DEUS, imperato quidem fine, sed negatis medijs.*

VII. Matth. 18. v. 15. *Si autem peccaverit, inquit Christus, in te
frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum; si te audierit, lucratus
eris fratrem tuum: si autem te non audierit; adhibe tecum adhuc unum,
vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non
audierit eos: dic Ecclesia: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus,
& publicanus: Amen dico vobis, quacunque alligaveritis super terram,
erunt ligata & in cœlo.*

Patet ex hoc textu, esse penes Apostolos, eorumque succes-
sores potestatem judiciariam circa omnia delicta, & injurias in
proximum commissas, hoc est, famam, facultatesque, & bona
temporalia, aut corporalia, sic videlicet, ut in defectu Magistratûs
sæcularis, eoque justitiam non administrante, possit ad Ecclesiæ
tribunal, velut ultimum asyllum, & aram innocentie provocari,
in quo Theodosij Imperatoris luculentum est exemplum. Au-
riga nobilis cujusdam Adolescentis pudicitiam fœdaverat, ea de
causa à Præfecto militum in vincula conjectus. Instabat dies
solemni decursui quadrigarum indicta. Cives Thessalonicenses
Aurigam certamini, ut credebant, necessarium impatienter po-
stulari

stulare: sed negante militum Praefecto tam turpis flagitij reum dimitti posse; Populus in rabiem actus Praefectum invadit, trucidatque. Re ad Theodosium delatâ, mirum quantum exarsit, justâ quidem irascendi causâ, sed præter modum: jubet ergo in eos, qui cædi interfuerant, gladio vindicari, quo decreto innocentes quam plurimi, nec alterius culpæ rei, quam quòd oculos non velâssent, involvebantur. Ambrosius evulgato diplomate ad Principem pervolat, eumque emollit, ac veniam populo impetrat. Sed vix Palatium egresso, novæ faces ab Aulicis accensæ; dicebant: *Hæc indulgendi facilitate populum ad paria, immo pejora invitari, ac veniam unius culpæ, alterius initium fore: nec eadem intra Praefectum stitisse, sed Caesaris Majestatem eodem vulnere peritam esse.* His, aliisque Theodosius incensus clam Ambrosio in Thessalonicenses sæviri jubet: quod tantâ factum crudelitate, ut trium horarum spatio septem millia, innocentes plerique, ceciderint. Ingemuit auditâ clade Ambrosius, Imperatorem Ecclesiâ, sacrisque arcuit, & vix tandem post longam delicti, & publicam expiationem admisit, supplicemque, ac genibus affulum sic allocutus: *Quam tu poenitentiam post tam grave scelus ostendis, quæ medicamenta ad vulnera tam difficilia adhibuisti? Tuum est, inquit Imperator, medicamenta ostendere, meum autem accipere.* Cui Ambrosius: *Quoniam non recta rationi, sed animo irato obsecutus sententiam pronuntiasti, conscribere legem, quâ deinceps sententia, per iracundiam pronuntiata, irrita sint, & nullim momenti, earumque executio ad triginta dies suspendatur.* Paruit Theodosius, legemque conscripsit, quam videre est. l. 20. C. de poenis.

Vides in hoc facto Principis delictum ab Episcopo judicatum, punitumque esse; nec Theodosium excepsisse, aut justè in populum perduellem sævitum esse; aut modum vindictæ milites se ignaro transgressos; aut denique ad Episcopos non pertinere, quam poenam in suos subditos Principes statuant; nec etiam impositæ ab Episcopo poenæ oblectatum, cum imperaret novam legem conscribi de sententiarum differenda executione, quod utique ad forum politicum pertinet. Quantò minùs Pontifici oblectaretur eadem imperanti?

Ceterùm circa textum allegatum *Math. 18.* nota illic sermonem non esse de correctione tantùm fraterna, & occulta; sed etiam publica, & coercitiva, quod communiter interpretes ferè

omnes, sanctique PP. docent, & videri potest, *S. Thom. in 4. sentent. dist. 18. q. 2. a. 1.* idque manifestè patet ex eo, quòd testes sint adhibendi, & qui Ecclesiam non audit, sit instar ethnici, & publicani habendus, hoc est, ab Ecclesia separandus, ne suam scabiem & delictum alijs fidelibus affricet, adedò ut nec cibum cum illo sumere. *1. ad Cor. 5.* Nec eum salutare permittaris. *epist. 2. v. 10. Joannis.* Amittatque jurisdictionem, & auctoritatem judicalem *c. ad probandum. de sentent. & re judic. c. Nos Sanctorum. 15. q. 6.* Quod etiam ad Principes extendi, patet ex eodem *c. Nos Sanctorum. alijsq; eadem causâ 15. q. 6. & c. Gravem. de pœnis:* Modò ij non sint tolerati: toleratis enim jurisdictio non adimitur, quales sunt hodiernâ die multi Principes Hæretici, & olim Cæsares Romani, quibus obediendum omnino est per textum elegantem *in c. Julianus 11. q. 3. c. Sacerdos. causâ 3. q. 7. in fine.*

Bene etiam observat Layman de Sacramento Pœnitentiæ. *c. 10. n. 3.* & Sylvester v. *Excommunicatio. 1. §. 10.* Reges, supremosque Principes Privilegio donatos esse, quòd minùs ab alijs, quàm Romano Pontifice excommunicari, alijsque censuris astringi possint, *ex cap. ne aliqui. de privileg. in 6.*

Si ergo qui Ecclesiam non audit, habendus est ut ethnicus, & publicanus; adedò, ut ex doctrina Apostolorum, cum illo tanquam infami nec cibum sumere, nec salutare, nec alio commercio humano uti liceat; patet potestatem spiritualem se ad temporalia etiam extendere, indirectè, quatenus ista illi deserviunt; illa enim separatio non tantùm est à suffragijs Ecclesiæ, & beneficijs spiritualibus, sed etiam temporalibus, ut patet.

VIII. *Luca 22.* hæc ad Apostolos Christus dixisse legitur: *Qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium; dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Cum iniquus deputatus est; etenim ea, quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine ecce duo gladij hîc: at ille dixit eis: satis est.* Hæc Christi sententia difficilis videtur, & cum ipsius doctrina pugnare: hîc enim jubet tunicam vendi, & gladios emi; cum tamen alibi aut præcipiat, aut consulat tunicam auferenti pallium dimitti, & percutienti maxillam alteram offerri: & *Matthæi 26. v. 52.* Petrum in milites invecum, & gladio grassantem coërcet: *Converte gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gla-*

gladium, gladio peribunt. Cur ergo iusserat gladios emi, & Petrum ferro succinctum non tantum non prohibuerat, sed etiam comitem acceperat, si noluit, ut gladio uteretur? Varias SS. PP. cum mysticas, tum litterales explicationes adhibent, & illam præsertim: *Voluisse Christum Dominum duplici gladio duplicem potestatem exprime Petro commissam, spiritualem videlicet, & temporalem: istam vero in vaginam recondi, hoc est, non manu, sed nutu, & præcepto Petri; nec vindictæ, sed necessitatis causâ exerendam.* Sic omnino S. Bernardus *lib. 4. de Consideratione ad Eugenium.* S. Anselmus in *Matthæum c. 27.* Bonifacius VIII. in *extravag. Unam sanctam de Major. & obed. Abb. in c. novit. de judicijs.* Et Cornelius in *c. 26. Matthæi n. 5.* Allegoricè, inquit, *interpretes passim per duos gladios accipiunt duplicem Ecclesiæ potestatem, spiritualem videlicet, & temporalem.* Patet ergo ex allegato Lucae textu, & junctâ PP. explicatione utramque potestatem spiritualem, & temporalem duplici gladio significatam Apostolis, eorumque Successoribus concessam esse, modò illam non vindictæ causâ, sed utilitatis usurpent, & gladium nuru & auctoritate, non manu exerant.

Hæc non nostro arbitrio, sed ex SS. litteris deducta, & PP. suffragijs, ac sensu explicata sufficient, illis convincendis, qui veritatem, non aliud quærunt: aliud enim quæruntibus nec ista, nec mille alia satis erunt, animo semel in contrarium obstinato, & veritati larvam opponente. Ceterum cum Parisiensis Conventus in sua declaratione Sacrorum Canonum observantiam adedò summis Pontificibus inculcet, ijsque velit obstrictum; multò magis fatebitur Episcopos Papâ inferiores Canonibus alligari, nec posse ab illis dissentire. Videamus ergo, an nostram hanc Doctrinam sacri
Canones apertè non doceant.





§. III.

*Primus Textus Canonicus ex c. novit 13. de
Judicijs.*

S U M M A R I A.

1. *Laus Innocentij.*
2. *Causa hanc Decretalem ad Gallia Pralatos scribendi, bellum
Philippi Augusti Gallia, & Richardi Anglia Regum.*
3. *Decretalis Innocentij.*
4. *Aliud simile Innocentij factum in causa Ingeburge Gal-
liarum Reginae.*

I.



Ræmittimus alijs hunc textum Canonicum, quia Innocentium III. Auctorem habet laudatissimum Pontificem Doctrinâ, & Sanctitate pari; quiq; non prius summam dignitatem acceptare voluit, quàm Deo manifestis miraculis Electionem approbante; tantæque moderationis luxuq; abhorrentem, ut argentea in pauperes distribueret, solis è ligno, vitroq; vasis contentus.

Deinde quia ad Gallia Prælatos exaratus, rei que nostræ imprimè serviens. Huic Pontifici Innocentio Ludovicus Maymburg pulcherrimam statuam, & monumentum posuit, tot encomijs sculptum, tot coloribus exquisitè pictum, ut Innocentium videatur velut exemplar omnium virtutum, quas alij Pontifices imitari quidem debeant, sed assequi non possint, æternitati ac famæ commendâsse. Illius variam, & incomparabilem doctrinam, quâ universitatem Parisiensem, omnium scientiarum matrem illustravit, omnesque qui tunc temporis florebant, Doctores post se reliquit: Illius flagrantissimum tuendæ ac proferendæ Religionis zelum: Il-
lius

lius animum insuperabilem, & adversus omnes mundi potestates invictum: Illius Prudentiam, Illius Majestatem Pontifice dignam, & denique præcellentem sanctitatem cælis exæquat. *V. L' histoire des Croisades. l. 7. f. 31. & l. II. f. 223.* In hujus ergo Pontificis, tam sancti sapientisque doctrina, quæ meritò pro doctrina Ecclesiæ Gallicanæ, & universitatis Parisiensis habenda est; nil puto habebit Maymburg, quod jure meritoque reprehendat, sed illius testimonio vinci se utique patietur, quod ad eò laudavit, omnique exceptione majus professus est.

II. Causa scribendæ Decretalis hæc fuit. Diuturno inter se bello Philippus Augustus Galliæ, & Richardus Angliæ Reges conflixerant, sed tandem inter utrumque operâ Innocentij III. quinquennales induciæ pactæ, dilato potiùs bello, quàm finito. Richardus in Aquitaniam excurrens, telo ictus interijt, & Joannem successorem habuit. Hic cædis, quam Arcturo Nepoti obtulisse dicebatur, & injuriarum in proceres Aquitanie postulatus, à Philippo Galliæ Rege causam dicturus evocatur, siquidem Comitatum Pictaviensem, aliasque in Gallia Provincias beneficiario jure obtinebat. Sed cum ad diem Anglus non adesset, omni jure, quod in Gallijs habebat, mulctatur, armisque illatis invaditur. Ille ad Innocentium Papam velut ultimam naufragij tabulam. Pontifex missis Legatis pacem utrique imperat, & judicio litem agitari jubet, sed Gallus victoriam sibi è manibus rapi causatus, à Legato ad Pontificem provocat, & interim causam bello prosequitur, Nortmanniam, & quicquid Anglorum fuerat, in fidem recipit, subigitque, Joanne in Angliam compulso. Quem exitum res habuerit, infra dicetur. Vide interim Spondanum ad annum MCC. & MCCIII. Morerum in Theatro Historico Gallicè edito in *vita Philippi Augusti.*

III. Jam Decretalem audiamus. Innocentius III. *Prelatis Archiepiscopi. & Episcopis per Franciam constitutis.* Novit ille, qui nihil ignorat, qui scrutator cordium est ac conscius secretorum, quod charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Francorum illustrem de corde puro, & conscientia bona, & fide non fictâ diligimus, & ad honorem, & profectum, & incrementum ipsius efficaciter aspiramus, exaltationem Regni Francorum, sublimationem Apostolicæ sedis reputantes, cum hoc Regnum benedictum à Deo, semper in ipsius devotione permanserit, & ab ejus devotione nullo unquam, sicut credi-

mus, tempore sit discessurum. Non putet ergo aliquis, quod jurisdictionem illustri Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus; sed cum Dominus dicat in Evangelio: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripo eum inter te & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos: quod si non audierit, dic Ecclesia: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et Rex Angliæ sit paratus sufficienter ostendere, quod Rex Francorum peccat in ipsam, & ipse circa eum in correptione processit secundum Regulam Evangelicam, & tandem quia nullo modo profecit, dixit Ecclesia; quomodo nos, qui sumus ad regimen universalis Ecclesie supernâ dispositione vocati, mandatum divinum possumus non exaudire, ut non procedamus secundum formam ipsius? non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum spectat judicium, sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus. Non igitur injuriosum sibi debet Regia dignitas reputare, si super hoc Apostolico iudicio se committat; cum Valentinianus inclitus Imperator suffraganeis Mediolanensis Ecclesie dixisse legatur: Talem in Pontificali sede constituite, cui & nos, qui gubernamus imperium, sincerè nostra capita submittamus, & ejus monita (cum tanquam homines deliquerimus) suscipiamus necessariè velut medicamenta curantis. Nec sic illud humillimum omittamus, quod Theodosius statuit Imperator, & Carolus innovavit, de cujus genere Rex ipse noscitur descendisse: quicumq; videlicet litem habens, sive petitor fuerit, sive reus, si iudicium elegerit sacrosanctæ sedis Antistitis, illico sine ulla dubitatione, etiam si pars alia refragetur, ad Episcoporum iudicium dirigatur. Cum enim non humana constitutioni, sed divina potiùs imitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex DEO, nullus, qui sit sana mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de quocumq; mortali peccato corripere quemlibet Christianum: & si correctionem contempserit, per distractionem ecclesiasticam coercere. Sed forsitan dicetur, quod aliter cum Regibus, & aliter cum alijs est agendum. Ceterum scriptum novimus: Ita magnum iudicabis, ut parvum, neque erit apud te acceptio personarum, quam beatus Jacobus intervenire testatur: Si dixeris ei, qui est indutus veste præclarâ: Tu sede hic bene: pauperi verò sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum. Ideoq; universis vobis per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus sententiam nostram recipiatis humiliter, & faciatis ab alijs observari: licet enim hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, præcipuè, cum contra pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis. Postremò cum inter Reges ipsos re-

Formata fuerint pacis federa, & utriusq; praestito juramento firmata, nunquid non poterimus de juramenti Religione cognoscere, quod ad iudicium Ecclesia non est dubium pertinere? Ne ergo tantam discordiam videamur dissimulando fovere, praedicto legato dedimus in praeceptis, ut (nisi Rex ipse vel solidam pacem cum praedicto Rege reformet, vel saltem humiliter patiatur, ut idem Abbas & Archiepiscopus Bituricensis de plano cognoscat, utrum justa sit querimonia, quam contra eum proponit coram Ecclesia Rex Anglorum, vel ejus exceptio sit legitima, quam contra eum per suas nobis litteras duxit exprimendam) juxta formam sibi datam à nobis procedere non omitat. Haec tenus Innocentij Decretalis: ex cujus historia textuque multa colliguntur notatu digna, nostroque argumento servientia: videlicet non esse quidem Pontificis directè & immediatè se causis feudalibus, & negotijs Regum immiscere: posse tamen, & debere ab eo id fieri, cum Ecclesiae interest; cum de peccato, perjurio ac foedere violato agitur; tunc enim partes Pontificis esse, Regibus pacem imperare, eorum causas cognoscere, appellationes ad se factas etiam in causa temporali recipere: neque hoc novum, sed jam antiquis legibus constitutum, ut ex Evangelio constat *Matth. 18.* & explicat *D. Thomas. 2. 2. q. 33.* *Maldonatus in Lucam c. 18.* Ex edicto *Valentiniani Imperatoris (quod habetur in historia tripartita lib. 7. c. 8.)* & apud *Gratianum in c. Valentinianus distinct. 63.* Ex lege *Theodosij Imperatoris, qua est prima titulo de Episcopali iudicio in C. Theodosiano:* & apud *Gratianum c. quicumque. & c. sequenti, causâ 11. q. 1.* Neque hanc Pontifici Auctoritatem negavit *Philippus Rex*, cum & ipse ad eundem Pontificem provocaverit teste *Emilio rerum Francicarum scriptore lib. 6.* & *Spondano ad annum MCCIII.*

IV. Idem Innocentius ad hunc ipsum Philippum Augustum Regem Francorum Archiepiscopum Capuanum anno *MCCXCVIII.* legatum miserat, ut eum cum *Ingeburga* filia Regis *Daniæ* in gratiam redire cogeret, quam vigesima octava à nuptijs die repudiârat, superinductâ *Agnete*: ob quam causam Concilium Prælatorum *Galliæ* *Innocentius* indicit, ad eosque *Petrum* Cardinalem *Capuanum* delegat, à quo excommunicatio in Regem, & interdictum toto Regno pronuntiatur, adeò, ut præter baptismum parvulorum, & Sacramentum pœnitentiæ morientibus administratum, nec divina officia, nec Sacramenta alia in *Gallijs* haberentur, jacerentque sparsa & insepulta in plateis cadavera, clausis

Ecclesijs, & cœmeterijs omnibus: quæ res Philippum adeò incendit, ut Episcopos Clericosque Papæ obsecutos, & interdicti executores, alios Ecclesiâ & bonis pelleret, alios verò in suas partes traheret. Sed Gallis octo mensium interdicto jam fessis, & in Regem conclamantibus, Romam Legatos mittit, qui Innocentium flectant. Negat iste veniæ locum esse, nisi legitimâ uxore in thorum receptâ. Evicit Regem Pontificis constantia, & Agnetem quantumvis gravidam, & partui vicinam dimisit, revocavitque Ingeburgam, quæ in palatium quidem, sed non amorem admissa, paullo post mærori & fato cessit. Perierat Philippus medico parcente, & lethale obstinatumque malum mitiùs palpante. Vide Spondan. *ad ann. MCXCVIII. Innoc. lib. 2. epist. 186.*



§. IV.

Secundus Textus Canonicus ex cap. licet ô. de votis.

SUMMARIÆ.

1. *Causa hanc Decretalem scribendi, & Historia Henrici, & Andree Hungaria Regum.*
2. *Ipsa Decretalis.*

I.

Scripsit hanc Decretalem Innocentius III. ad Andream Ducem, Hungariæ Regis filium secundogenitum, anno primo sui Pontificatus, Christi MCC. Scribendi causa hæc fuit. Urgebat Innocentius expeditionem Christianorum Principum in Palæstinam, terramque sanctam, & multos jam permoverat. Inter istos Bela III. Hungariæ Rex voto se obligavit Hierosolymas cum exercitu movendi: sed morbo derepentè occupatus, jamque moriturus Andree filio mandat, votum exequatur, nisi faciat, paternam maledictionem, & diras minatus. Extincto Belâ Henricus major natu filius rerum potiturus. An-

Andreas conscripto exercitu, acceptoque vexillo crucis cum infidelibus instare videtur, ex insperato arma & acies in fratrem vertit, Regnum, quod natura negabat, ferro invasurus. Stabant acies in conspectu procinctuque pugnandi, cum Henricus positus armis, sceptrum manu quatiens, nec alio, quam innocentiam suam comite ad fraternas acies procedit, altaque voce: *Esseme aliquis, inclamat, qui legitimo Regi vim auderet inferre, & ejus sanguine manus impiare, cui defendendo sanguinem deberet? Quis crederet? Majestate non tam supplicantis, quam imperantis, victi milites, inermi se dedunt, Regemque acclamant.* Hæc ubi ad Innocentium delata, præsentem Decretalem ad Andream exarat jubetque, ut se voto exsolvat; nisi pareat, diris feriendus, & paternam hæreditatem amissurus. Paruit Andreas, Regnumque adeptus bellum quidem sacrum aggressus est, sed continuè abrupit, præcipitato, quod illic res turbarent, in Hungariam reditu. (a)

II. Jam verba Decretalis audiamus. Innocentius III. *Andream Duci. Accipimus, quod cum Rex Hungaria Pater tuus agens in extremis votum, quod voverat Domino, Hierosolymitanam Provinciam in forti manu humili corde visitare, sub interminatione maledictionis paterna, commiserit tua fidei exequendum, & tu assumpto crucis signaculo, te id impleturum sine dilatione qualibet promissisti: Verum eodem Patre tuo sublato de medio, cum Hierosolymitanum hoc iter te arripere simulasses, assumpta peregrinationis oblitus, quoniam contra inimicos crucis dirigere debueras, in fratrem tuum, & Regnum Hungaria convertisti aciem bellatorum, & multa contra serenitatem regiam malignorum usus consilio commissisti. Nos autem, quos diebus istis ad Pontificatus officium licet immeritos Dominus evocaverit, tam paci Regni Hungaria, quam tua volentes saluti consulere, nobilitatem tuam rogamus, & monemus, & exhortamur in Domino, ac per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus postpositis ceteris sollicitudinibus, usque ad festum Exaltationis sanctæ Crucis debitum acceptæ Crucis exoluens, propositum iter arripias, & humiliter prosequaris. Ne, si onus tibi à patre injunctum, & à te sponte susceptum, occasione qualibet detrectaveris, paternam te reddas successione indignum, & hæreditatis emolumento priveris, cujus recusaveris onera supportare, sciturus ex tunc Anathematis te vinculo subjacere, & jure, quod tibi, si dictus Rex sine prole decederet, in Regno Hungaria competebat ordine genitura, privandum. & Regnum ipsum ad minorem fratrem tuum appellatione postpositam devolvendum.*

(a) Vide Innoc. ep. 122. l. 3.

Hic iterum Pontificiam in Reges auctoritatem Innocentius exercuit, nec enim satis habuit spirituales pœnas denunciare, quas plerumque haud magni Principes faciunt; sed temporales etiam adjungit, quæ plus doloris habent; Regni videlicet privationem: cum enim de bello sacro ageretur, inferendâque Catholicâ fide terris à barbaro usurpatis; tanti hæc res momenti videbatur, ut posset à Vicario Christi quâvis honestâ ratione urgeri.



§. V.

*Tertius Textus Canonicus ex c. venerabilem 34.
de elect.*

S U M M A R I A.

1. Imperium Romanum à Constantino divisum. Eruli Gothique Italia dominantur. à Belisario & Narseie victi expulsiq.
2. Alboinus Longobardorum Rex Italiam subigit. Gregorius Papa Martellum Francorum Regem contra Longobardos implorat. Consulatum offert. & in Leonem Isauricum Italiam armat.
3. Extincto Martello regnum Francie Childerico ademptum & Pipino datum auctoritate Zacharie Pontificis. Stephanus III. Carolina stirpi magnates Francie juramento adstringit.
4. Pipino jus Regium à Stephano confirmatur. Pipinus Aistulphum Regem Longobardorum vincit obsidetq. Pax conditionibus facta. Pipinus iterum cum exercitu in Italiam. Ecclesia Romana amplissimo patrimonio aucta. Copronyimi postulata à Pipino rejecta. Moritur.

5. *Carolus & Carlomannus Francia Reges ob nuptias cum Longobarda à Pontifice correpti emendatiq;. Carolus Magnus Desiderium & Ticinum capit. Roma excipitur, & ab Hadriano Pontifice amplissimo privilegio donatur. Grecos vincit caditq;.*
6. *Carolus iterum armatus Romam: Leonem Pontificem vindicat, ab eodem Occidentis Imperator Augustus constituitur. Origo & Regnum Francorum à Germanis.*
7. *Causa, ob quas Imperium Occidentis à Leone Pontifice Francis delatum. Horum in Ecclesiam beneficia. De Regni Francici perpetuitate. Necessitas Imperium in Francos transferendi.*
8. *Carolus cum Irene Imperatrice componit: hujus virtutes & vitia. Et iterum cum Nicephoro Logotheta Imperatore. Pontificis Romani in Reges auctoritas totâ hâc historiâ sapius ostensa & exercita.*
9. *Auctoritate Pontificis factam Imperij translationem testimonio probatur, etiam Gallorum, & A catholicorum, praesertim confessione ipsius Ludovici Imperatoris.*
10. *Ludovici Maymbourgi de hac re sententia, ejusque rationes: Refutatur testimonijs Baslij, Nicephori, Phoca, Henrici II. Imperatorum: ex annis & calculo Imperij: ex ipsius Maymbourgi & Ludovici Imperatoris confessione: ex Synodo Ticinensi, quam Galli Scriptores agnoscunt, Galliaq;. Pralati approbant: ex ratione demum, & objectorum solutione.*
11. *Multa in historia Patris Maymbourgi notata. Haecenus dicta brevi dilemmate conclusa & confirmata.*
12. *Imperium auctoritate Pontificiâ in Germanos transit, demumq;, in familiam Saxonicam.*
13. *Recitatur ipsa Decretalis Venerabilem.*

I.



Extus hujus Decretalis *Venerabilem* est singularis, & Innocentium III. Auctorem habet, pro qua intelligenda sciendum est, Romanum Imperium olim Orientem & Occidentem complexum esse, sæpe ab uno, aliquando à pluribus, indivisim tamen, Imperatoribus administratum, donec Constantinus Byzantio ædificato Consules, senatum, & omnia Romæ privilegia eodem transtulit, ac Imperium inter filios divisit, Occidentem Constantino Juniori, & Constanti; Orientem Constantio partitus.

Constantino igitur magno anno cccxxxvii. è vivis sublato, prima divisio Imperij facta, Romanisq̃ue Aquilis duo capita nata: sic tamen scissum Imperium, ut Cæsaris utriusq̃ue nomine leges ferrentur, & altero sine liberis functo alter succederet. Immo ab uno sæpe Imperatore utrumq̃ue Imperium administratum est; nam Constantinus, Julianus, Jovinianus soli imperârunt.

Valentinianus anno ccclxiv. Occidente contentus, Orientem Valenti patri suo cessit. Ab hoc tempore usq̃ue ad Augustulum Occidentis Imperatorem, hoc est, annum cccclxxvi. duobus Imperatoribus Oriens Occidensq̃ue parebat.

Anno cccclxxvi. Odoacer dux Erulorum, qui populi Scythiæ sunt, religionis Arianæ, in Italiam ab ijs, qui Nepoti Imperatori favebant, invitatus transit, Venetos expugnat, Augustulum prælio victum captumq̃ue abdicare Imperium cogit. Causa occupati ab Odoacre Imperij hæc fuit. Nepos Imperator Orestem Patricium militiæ & copijs præfecerat. Hic majorum avidus, Nepotem Imperatorem in fugam agit, & filio, cui Augustulo nomen, Imperium deserit. Qui Nepoti studebant, injuriam suâ & omnium strage ulturi, Odoacrem Erulorum ducem in Italiam vocant. Hic Nepote & Augustulo in Ordinem redactis Imperium capit. Miserrima tunc Ecclesiæ facies sub infidelium dominatu. Italiam, Hispaniam, Africam, Gothi Wandaliq̃ue Ariani, Galliam Idololatras, Orientem Zeno hæreticus gubernabat.

Anno cccclxxxix. Theodoricus Gothorum Rex, & ipse Arianus, Italiam bello invadit, & cum Odoacrem Ravennæ biennio obsessum non vinceret, Italiam cum illo dividit. Sic Imperio Occi-

Occidentis barbari, Gothi videlicet Wandaliq̄ue magna ex parte potiti. Fuit Theodoricus bello impiger & consulatum, triumphum, ac equestrem statuam à Zenone Imperatore ob bene merita, devictosq̄ue perduelles accepit; immo in filium adoptatus est; sed beneficijs satur, cùm Orientale Imperium bello, sed frustra tentâsset, in Italiam flexit, meliori eventū. Sunt, qui dicant, auctoritate imperioq̄ue ipsius Zenonis Italiam contra Odoacrem debellandam accepisse.

Anno cccxciii. Odoacrem Regni socium, & ideo gravem, ad epulas Theodoricus invitat, & nihil suspicantem obtruncat, missisq̄ue ad Anastasium Imperatorem legatis, pacem ab eo, & Italiam impetrat.

Anno dxxiv. Justinus Imperator Arianos in Oriente agitat, & Ecclesijs pellere aggreditur. Theodoricus Constantinopolim legatos, & inter illos Joannem Pontificem mittit, Arianis pacem à Justino impetraturos. Pontifex summâ omnium gratulatione exceptus, totâ civitate cum facibus ad duodecim milliaria obviam effusâ. Ejus precibus pax Arianis data, non tamen Ecclesiæ reddita, quæ causa fuit, ut Theodoricus reducem Papam mori compulerit. Secuta paullo pòst Boëtij & Symmachi Senatorum cædes, & ipsius Theodorici funesta mors, rotam ab eo tempore vertente fortunâ, cùm in Joannem Pontificem favijt. Regnum Athalarico Nepoti cessit, matre dum adoleceret, gubernante.

Anno dxxxiv. Athalaricus corruptis moribus adolescens octavo Regni moritur, & Theodatum Theodorici ex sorore nepotem successorem habet. Hic Amalasintham Athalarici matrem exilio primùm, deinde capite mulctat: cujus necem utpote amicitia & fædere sibi conjunctissimæ vindicaturus Imperator Justinianus, legatos Theodati, qui pacem petebant, domum remittit, & bellum in Gothos parat, ac paullo pòst infert Belisario Duce.

Anno dxxxvii. Belisarius Siciliam, Neapolim, Romam expugnat, debellatis Gothis.

Anno dlii. Totilas cum parvâ Gothorum manu bis collatis signis Græcos acie fundit, magnamq̄ue Italiæ partem occupat.

Anno dluii. Totilam victorijs & potenti exercitu ferocem Justinianus Narsete duce vincit cæditq̄ue, & paullo pòst Theiam Gothorum fortissimum. Sic tandem Justinianus Imperator operâ

fortissimorum Ducum Belisarij, & Narsetis Africâ Italiâque barbaros pellit, & Occidentem Orienti conjungit, utriûque Imperio uno principe, ut olim, dominante.

ANNO DLXVII. Justinus junior per præfectos Italiam gubernare cepit, quos Exarchos dicebant: istorum dominatione oppressa potius Italia, quàm defensa. Hoc eodem anno natæ inter Narsetem Romanosque discordiæ Italiam perdiderunt. Invidebant Narsetis opibus Romani, & ideò apud Justinum Imperatorem, & Sophiam conjugem accularunt. Justinus misso ad Italiæ præfecturam Longino, Narsetem in Græciam revocat, ubi tantis opibus dicunt affluxisse, ut ingentem cisternam thesauris, quos Italiâ extulerat, impleret, occisis tamen conscijs, ne proderent. Recenti adhuc injuriâ calentem magis magisque incendit scomma Imperatricis, quæ per contemptum jusserat in gynæceum Narsetem ire, illic cum virginibus lanas texturum. Ille in vindictam præcepit, missis per legatos opimis frugibus, Longobardos ex Pannonia in Italiam vocat, quam Alboino Duce Saxonum, Bulgarorum, Sarmatarum, Sueuorumque auxilijs præpotente invadunt torrenti similes, Ticinum triennali obsidione captum. Alboinus dolo Rosimundæ uxoris ab armigero, quem amabat, infeliciter casus. Fuere Longobardi Germana gens ad Albim fluvium, ubi nunc Magdeburgum, & Halberstadtium.

ANNO DXXI. Longobardi operâ Theodolindæ Reginæ ad fidem Catholicam conversi, & Italia potiti, Ravenna tantum, Romaque exceptis, quæ Græcis adhuc & Exarchis parebant, sed paullo post sub Rege Ariovaldo ad Arianos deficiunt.

ANNO DCLXIII. Constans Imp. Longobardis bellum, sed frustra mover, Romam venit, & omnia ex ære Urbis monumenta etiam regulas Constantinopolim transfert. Grimoaldus Longobardorum Rex Catholicam fidem profitetur.

ANNO DCCXII. Luithprandus Rex Longobardorum regni sui initio Romanæ Ecclesiæ confirmat donationem, aut potius restitutionem Alpium Cottiarum (quidquid videlicet ab Alpibus usque ad fines Galliæ continetur) jam nuper ab Ariberto factam.

ANNO DCCXXV. Carolus Martellus Francorum Princeps, & regij palatij Præfectus Saracenos Galliæ infusus vincit, deletque, cæsis una die cum Rege Abdirama ter centies septuagies quinquies mille:

mille: Gallorum mille quingenti nec plures desiderati. Et iterum in Franciam transire ausos iterum prælio fundit, Avenione recepta, quam occupaverant. Fuit Martellus Pipini Francorum Principis & palatio Præfecti filius ex pellice Alpaide: qui à patre hæres scriptus æmulis (Eudone præsertim Aquitaniæ Duce) oppressis, Franciam moderabatur.

Anno DCCXXVI. Gregorius II. qui tunc Romæ sedebat, victorij Martelli excitatus, se suamque Ecclesiam Franco defendendam committit, ac toties victoris opem, & arma contra persecutiones insidiasque Leonis Isaurici implorat, oblato Romæ consulatu. Causa Francos appellandi hæc fuit: Leo Isauricus sævissimis decretis totâ Græciâ sacras imagines profligaverat, ferro, incendio, tormentis in eos grassatus, qui non parebant. Nec Oriente contentus, ferale edictum Romæ promulgat. Hinc omnium animi ad seditionem versi. Gregorius Papa Imperatore toties monito, nec unquam victo, Concilium Romam indicit: illic Leo hæreticus acclamatur, dirisque percutitur, omni que tributo, quod populus pendebat, Gregorij sententiâ privatur. Atque ut vires consilium juvarent, ad Martellum decreta legatio, consulatus, & dona oblata, protectio, auxilium petita. Martellus se in Italiam venturum spondet, præmittitque Abbatem Corbejensem, qui fœdus sanciat, & Romanis auxilium offerat: hæc prælusio Imperij postea in Franco translata. Gregorius Ecclesiâ velut à naufragio in portum collectâ sanctè defungitur. Vide Cedrenum. Zonar. Spondan. Maymburg. *lib. 1. histor. Iconoclast. Fredegar. c. 110. in Chron. Ubi: Eo enim tempore, inquit, bis à Roma beatus Papa Gregorius claves venerandi sepulchri cum vinculis S. Petri. & muneribus magnis, & infinitis, legatione (quod antea nullis auditis, vel visis temporibus fuit) memorato principi destinavit. Eo pacto patrato, ut ad partes Imperatoris recederet, & Romanum consulatum præfato Principi Carolo sanciret.*

Anno DCCXXIX. Leo Isauricus per Eutyrium Exarchum icto cum Luithprando fœdere Romam cum exercitu contendit, Gregorium II. Pontificem maximum capturus. Rex Gregorio obviam progresso ad pedes allapsus veniam sibi, & Eutyrio impetrat, aureamque coronam, & arma ad sepulchrum D. Petri, trophæa videlicet reverentiæ ponit.

Anno DCCXXXIX. Luithprandus Romam repetit, obsiderique, & vastato circum agro Romano, ac in primis Basilicâ D. Petri

exercitum reducit. Causa belli, quòd nollet Gregorius III. Transamundum Ducem Spoletanum tradere, quem Regis crudelitatem fugientem hospitio acceperat. Hinc Longobardorum fortuna occatum spectare.

Anno DCCXL. Gregorius III. semel iterumque Martellum urget. Luithprando jam urbi imminente, & extrema parante, bis in litteris ad eum datis *Filium Christianissimum appellat*, quem titulum, velut immortale Religionis elogium, Gallia Reges deinceps obfervârunt. Martelli præmatura mors expeditionem morata est, Princeps inter felicissimos numerandus, si bonis Ecclesiasticis manum abstinuisset, hac enim de causa funestâ morte consumptus est; de anima licigante adhuc historiâ. (a) Reliquit Martellus duos filios Pipinum & Carlomannum. Hic Romæ Monachum induit, Pipino & palatium & Regnum moderante, auctoritate regiâ, non nomine; sic enim multis jam annis factum, ut Regibus otium & delitiâ, Magistro palatij vires & auctoritas cederent. Audi Eginhardum Carolo magno à Secretis ejusque comitem individuum, sic enim scribit; *Opes & potentia Regni penes palatij præfectos, qui Majores Domûs dicebantur, & ad quos summa Imperij pertinebat: Neque Regi aliud relinquerebatur, quàm, ut Regio tantum nomine contentus crine profuso, barbâ submissâ, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecumq; venientes audiret, eisq; abeuntibus responsa (quæ erat doctus vel etiam jussus) ex sua velut potestate redderet: cum præter inutile Regis nomen, & precarium vita stipendium, quod ei præfectus aula, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprij possideret, quàm unam & eam præparis redditiâ villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes paucâ numerositatis habebat. Quocumq; eundem erat, carpento ibat, quod bubus junctis, & tubulo rustico more agente traheretur; sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob Regni utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. Ad Regni administrationem, & omnia, quæ vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, præfectus Aula procurabat.*

Anno DCCCLI. Pipinus Romam ad Zachariam Pontificem Legatos mittit, qui expositâ Childerici Regis inter otia marcentis vœcordiâ, populorum consensu Pipinum Regem exoptantium: Regni & Ecclesiæ periculo sub principe imbelli, rerumque omnium negli-

(a) V. epist. S. Bonif. ad Athelbald. Merciorum Regem, & Spond. ad Annum 744.

negligente; Regnum transferri in eundem Pipinum rogant, solutus Francis eo Sacramento, quod Childerico dixerant ultimo Meroveicæ stirpis: *Hoc omnium esse votum, qui pro stupido, pacisq; & belli ignaro principe, alium sapientiâ, victorijs, gloriâ florentem cuperem.* Res diu Romæ agitata. Zacharias tandem Francos iuramento solvit, suâque auctoritate, & Procerum consensu Regnum Pipino defert. Tantumque abfuit, Gallos obniti, ac Zachariæ adversari velut inconcessa tentanti, ut potius id ipsum expeterent, acceptarentque concordibus votis, pari in Pipinum amore & in Pontificem reverentiâ; patet ergo, quænam fuerit eo temporis sententia Ecclesiæ Gallicanæ. Et ne ulla dubitandi ratio superfit, dabimus Authorum omni exceptione majorum verba, & ea tam clara, ut negari à nemine possint.

Eginhardus perpeius Carolo comes, eique à Secretis, quiq; non audita solum & præterita, sed visa & præsentia scribebat: (a) *Gens, inquit, Merovingorum usq; in Hildericum Regem, qui jussu Stephani Romani Pontificis depositus, ac detonsus durasse putatur.* Et infra: *Pipinus per jussionem Romani Pontificis ex Præsæcto Palatii Rex constitutus est:* Et in Annalibus. (b) *Burkardus Wirziburgensis Episcopus & Falvaldus Presbyter Capellanus missi sum Romam ad Zachariam Papam; ut consulerent Papam de causa Regum: per quos prædictus Pontifex mandavit; melius esse, illum vocari Regem, apud quem summa potestatis consisteret; dataq; auctoritate sua jussu Pipinum Regem constitui.* Et alibi ad Annum 750. *Hoc anno secundum Romani Pontificis Sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est.* Nota, hanc translationem ab Eginhardo jam Zachariæ, jam Stephano tribui; quia illam uterque promovit; nam Zacharias initium fecit; Stephanus verò ad exitum perduxit, ac ultimam manum imposuit; eodem quippe anno, quo Zacharias Pipinum Regem jussit, & Francos sacramento absolvit, ipse vitam finivit. Stephanus verò jus Regium Pipino & filijs confirmavit, ut postea videbimus; unxitque, & coronam imposuit.

Annales Laureshamenses ad Annum 749. *Hoc anno secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est; & more Francorum elevatus in solum Regium Sueffione.*

Y 3

Anna-

(a) Eginhard in Vita Caroli M. ab initio.

(b) Et in Annalibus ad Annum 749. & 750. Obijt Eginhardus Anno 843. juxta Chronol. Bollandi Tom. 2. Jan. f. 875.

Annales Fuldenfes : Zacharias Papa ex auctoritate S. Petri mandat Populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate Regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur.

Annales Loifeliani ad Annum 749. Per Auctoritatem ergo Apostolicam iussit (Zacharias) Pipinum Regem fieri. . . . Pipinus secundum morem Francorum est electus ad Regem, & unctus per manus S. Bonifacii, & elevatus à Francis in Regno suo &c.

Sigebertus ad Annum 750. Pipinus Princeps auctoritate Apostolica & Francorum electione à S. Bonifacio in Regem consecratur.

Fredegarius (a) ad Annum 751. Quo tempore una cum consilio & consensu omnium Francorum missa relatione; à Sede Apostolica, auctoritate percepta praelatus Pipinus electione totius Francia in sedem Regni sublimatur.

Rhegino in Chronico : Iussit Papa per auctoritatem Apostolicam Pipinum Regem creari, ne perturbaretur Christianitatis ordo.

Otto Frisingensis (b) Imperatorum Nepos l. 5. c. 22. & 23. Zacharias consultus respondit, & ipsius auctoritate Pipinus à Bonifacio Archiepiscopo Moguntino & alijs Regni Principibus in Regem eligitur. Et ad Annum 754. Pipinus à Stephano Papa I. à fidelitatis sacramento, quod Hilderico promiserat, cum alijs Regni Francorum Proceribus absolvitur.

Theophanes l. 22. Stephanus in Franciam veniens Pipinum provehit in Regem, virum probatissimum.

Abbas Urspergensis (c) ad Annum 743. Pipinus ex Praefecto Palatii auctoritate Apostolica sublimatus, & unctus in sedem Regni; regnavit Annis 15. absolutus per eundem Stephanum Papam à juramento, quod Regi Childerico cum ceteris Regni Primoribus fecit. . . . Zacharias verò Papa super huiusmodi negotio consultus remandavit, melius esse, eum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret, dataque auctoritate sua Pipinum Regem iussu constitui.

Ludovicus II. Caroli M. Pronepos, qui res in familia sua gestas, recentesque ignorare non poterat; in Epistola ad Basilium Orientis Imperatorem: (d) Matrem omnium Ecclesiarum Dei, Romanam videlicet Ecclesiam, defendendam suscepimus, ex qua & regnandi prius, & postea imperandi auctoritate prosapia nostrae seminarium sumpsit; nam Francorum Principes primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt, ij duntaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt. Schaf-

(a) Floruit Fredegarius Saeculo 8.

(b) Obijt Frisingensis Anno 1158.

(c) Floruit Saeculo 11.

(d) Ludovicus Imper. epist. ad Basil. Anno 871. & habetur apud Baron.

Schafnaburgensis in Historia Germanica: Pipinus Decreto Zachariae Papa per unctiōem S. Bonifacij Rex appellatus est.

Hermannus contractus in Chronico ad Annum 752. Pipinus auctoritate Stephani Papa deponso ac deposito Hilderico Rex Francorum factus est.

Albertus Crantzius: (a) Meritò Summus Pontifex & Gallorum Rex mutuis se attollunt favoribus, quando ab initio hac Sedes domui Caroli hoc praestuit, ut Regiam haberet dignitatem.

Carolus Sigonius: (b) Rogatus à Pipino Decretum pro Magnitudine potestatis interposuit, quo Regnum Childerico abrogavit, & Francis Sacramenti religione solutis, ut Pipinum Regem substituerent, auctor fuit.

Paulus Æmilius rerum Francicarum Scriptor accuratissimus: Pipinus ad Zachariam Pontificem mittit, ut Franci solverentur jurisjurandi religione, qua se Childerico devinxerant, & tandem Francos sacramento Regis Childerico dicto solvit.

Præter jam citatos Authores videndi sunt Aimoinus de Gestis Francorum l. 4. c. 6. Gaguinus l. 3. Chronici, Sabellicus Enneade 8. l. 8. & Spondanus ad An. 751. alijque, qui iisdem ferè verbis hanc translationem describunt. Ex quibus simul Maymburgum apertissimè refutes, qui Tractatu de Ecclesia Romana c. 29. f. 404. solum consilium à Pontifice petatum fuisse, datumque asserit. At authorum, quos citavimus, verba nimis clara sunt, nec cavillatione ulla obscurari possunt; laudati enim Scriptores non solum à Francis petatum fuisse consilium dicunt; sed etiam Zachariam & Stephanum solvisse Francos juramento, auctoritate sua jussisse, sanxisse, imperio Pontificis Childericum depositum esse, quæ omnia non consilium tantum, sed præceptum & imperium sonant.

Anno DCCLII. Moritur Zacharias, qui ut pietatem & beneficia Regum Francorum præmio aliquo donaret, Pipino nominationem Episcoporum ad Ecclesias vacantes concesserat teste Lupo Abbate Monasterij Ferrariensis in Gallia epist. 81. Spondano ad ann. DCCLII.

Anno DCCLIII. Aistulphus Longobardorum Rex Ravennâ, totoque Exarchatu potitus, Romanas ditiones vastat, & Urbi, cuius occupandæ cupidissimus erat, bellum inferre parat. Stephanus III. Constantinopolim ad Copronymum Imperatorem legatos mittit,

(a) Crantzius l. 1. Metropol. c. 14.

(b) Sigonius de Regno Italiæ ad An. 750.

mittit, qui auxilium & arma peterent reliquijs Imperij defendendis. Verba legatis data, Copronymo nullum aliud bellum, quàm cum Sanctis eorumque imaginibus agitante. Stephanus ad preces & munera convertus barbarum Aistulphi animum placare aggreditur, sed frustra: immo adjecit minas, se ferro & igni Romam deleturum, nisi Longobardos admitterent. Quid faceret Papa tam vicinâ pernicie? Pipinum compellat, Missi continuò legati Rodigangus Episcopus & Ancharius Dux, qui Stephanum in Franciam deducerent: nec unquam oportunius auxilium jam Urbem Longobardo cingente. Soluta continuò reverentiâ & metu Franci obfidio. Stephanus à Legatis Pipini ad Aistulphum deductus, à quo petitâ, nec impetratâ cum Exarchatu Ravennâ in Franciam contendit: illic omni honore cultuque exceptus, Rege unâ cum liberis, & uxore non tantùm obviâ progresso, sed etiam alioquouſque Pontificis equum comitante.

IV. Anno DCCLIV. Stephanus Papa jus Regium Pipino confirmat, filios coronat, & traditâ sibiâ DEO potestate, Franciâ proceres juramento adstringit, nunquam ex alia quàm Pipini, hoc est, Carolina stirpe Reges admissuros. Agebat tunc Pipinus Lutetia Parisiorum in Gallia. (a) Eodem hoc anno Pipinus Stephani hortatu, qui bello abhorrebat, missis legatis Aistulphum urget, Ravennam, Exarchatum, & injustè occupata restituere, nec bellum exspectaret. Sed surdo obstinatôque ad postulata barbaro, cum valido exercitu in Italiam movet: Aistulphum in Alpium faucibus occurrentem cædit, fugatque, & Papiâ inclusum obsidet. Stephani rogatu, quem humani sanguinis cædiumque expugnatâ urbe penitebat, pax cum barbaro ijs conditionibus facta, ut Ravennam aliasque civitates redderet, & fidem juramento adstringeret. Pipinus Victor in Galliam redit duplici triumpho auctus, & quòd gentem hæcenus bello invictam domuisset, & quòd Deo, non sibi militasset, exemplo in Regibus raro, sed glorioso.

Anno DCCLV. Aistulphus pactorum, fidei, ac juramenti negligens, in Urbem & Pontificem searmat. Ferro, igni, rapinis omnia vastata: Virgines etiam sacræ stupris fædata: incensa templa, infantes in matrum amplexibus sinuque confossi, omnique crudelitatis genere sævitum, & Romam exercitus admoti. Stephanus
Pipino

(a) Vide Anastasium in Stephano III. Theophanem lib. 22. & epist Ludov. pij Imperatoris in Arcopagiticis. Spondan. ad hunc annum.

Pipino iterum supplex; missæque in Galliam litteræ dolore, precibus, querelis mixtæ, quæque non Regem tantum pietatis & gloriæ avidum, sed scopulos traxissent. Pipinus ergo iterum in Italiam cum exercitu. Aistulphus in Alpium angustijs fusus & Ticini obsessus: nec prius venia data fœdusque compositum, quam Ravennam, Exarchatum, aliasque civitates omnes, Ariminum, Pisaurum, Anconam, Auximum, Urbinum, Rhegium, Mantuam, Ducatus Spoletanum & Beneventanum redderet. (*) quæ omnia Romano Pontifici à Pipino donata, & claves per legatos missæ, quas Pontifex velut munus agnosceret, non sibi, sed Petro datum, sepulchro Apostolorum imposuit. Paulo post à Copronymo Imperatore legati adfuerunt, qui victoriam Pipino gratulati, Exarchatum (partem videlicet Imperij) repetebant. In castra admissi, auditi que & à Pipino magnificè responsum: *Græcorum Imperatores à Pontifice Maximo, à senatu, ab Italia tota, à se ipso saepe & repetitis legationibus rogatos, ut Italiam à barbaris defenderent, nec tantum non defendisse, hostium furori, & rapinis expositam desertamque, ab ipsis insuper Imperatoribus, qui tueri debebant, eorumque præfectis miserrimè afflictam esse. Pontifici maximo Vicario Christi insidias structas, & quod barbari non fecerant, sepius in vitam conspiratum esse: Religioni palam per edicta & supplicia illusum: & denique in Italia non tanquam in ditone Imperij, sed hostili terra à Græcis seditum. Venisse ergo in Italiam cum armis Pipinum, non ut Græcis Provinciam, sed ut oppressos & innocentes latronibus eriperet. Quam Imperatores Græci pro derelicta habuissent, à se justè occupatam, & cum posset retinere, Deo tamen donasse, à quo & Victoriâ agnosceret, & cum Gallia tot Regna accepisset, ut Italiâ non indigeret; se ut victorem, non prædonem adesse; nec spolijs, sed gloria & pietati militare: irent, referrent Copronymo, non prius spem in Italiam & reditum illi fore, quam cum gladio, quem pro Ecclesia Pipinus accinxerat, transegisset.*

Anno DCCLVI. Desiderius extincto Aistulpho, à Longobardis in Regem eligitur annitente Stephano, cui omnia promiserat.

Anno DCCLXVIII. Moritur Pipinus, duosque filios Carolum & Carlomannum relinquit, inter quos Regnum Franciæ divisum.

V. Anno DCCLXX. Bertruda Caroli & Carlomanni mater in Italiam profecta, duobus filijs Regibus, duas Desiderij filias jungit: quod ubi Stephanus IV, Papa, intellexit, litteras & Legatos in

Z

Fran-

(*) Vide Leonem Ostiensem hist. Cassin. l. 1. c. 7. Maymb. l. 2. hist. Iconoclast,

Franciam mittit, quibus excommunicationem regijs fratribus intentat, nisi matrimonium continuè abrumpant: *Non posse nuptijs jam innoxos alias jungere.* Hoc cum Longobardis connubio Franciam, & Religionem periclitari; feminas enim maritis, Regnis, & antiquæ pietati factales fuisse: sumpturos animum Longobardos & Regiâ affinitate nixos, crudelius, quàm sub Pipino Ecclesiam vexaturos. Clausula litterarum flammæ & doloris plena hæc fuit: *Præsentem igitur exhortationem nostram atque adjurationem in confessione Beati Petri ponentes, & sacrificium super eam, atq; hostias Deo nostro offerentes vobis cum lacrymis ex eadem sacra confessione direximus, & si quis (quod non optamus) contra hujusmodi nostræ adjurationis, atque exhortationis seriem agere præsumpserit, sciat se auctoritate domini mei Beati Petri anathematis vinculo esse inmodatum, & à Regno DEI alienum, atque cum diabolo, & cæteris impijs æternis incendijs concremandum deputatum.* At verò qui observator & custos istius nostræ exhortationis extiterit, æternis præmiorum gaudijs cum omnibus Sanctis & electis DEI particeps effici mereatur. Præpotuit hæc Pontificis monitio apud Carolum, qui sequenti anno Bertham Desiderij filiam thalamo abdicavit, nuptijs etiam impotentem. Hoc repudium quantumvis Papæ, & Episcoporum judicio factum quàmplures in Gallia offendit, qui pietatem rerum ignorantix prætexebant.

Anno DCCLXXI. Moritur Carlomannus, cujus uxor filia Desiderij Regis unâ cum liberis ex eo susceptis ad patrem refugit: & Carolus ex decreto Episcoporum, atque Optimatum totius regno Franciæ potitur, exclusis ex fratre Rege nepotibus. (a)

Anno DCCLXXIII. Desiderius Longobardorum Rex Italiæ totius dominium animo agitans, Ecclesiæ ditiones populatur, Exarchiam Ravennatem occupat, & Romam cum exercitu contendit. Causam belli præter dominandi votum, hanc referunt annales, quòd Hadrianus Papa Caroli ex Desiderij filia nepotes nollet Reges consecrare, habilesque paterno regno, cujus tunc Carolus potiebatur, reddere. Dabimus verba Pauli Æmilij Gallicarum rerum scriptoris in vita Caroli Magni prope initium: *Longobardus, inquit, contendebat, ut, cum manu Summi Pontificis non modò Pipinus, sed & Carolus, & Carlomannus inuncti fuissent, eorumq; soboli jus regnandi datum à Francis, Hadrianus Pontifex Carlomanni liberos, eosdem Pipini nepotes, Reges appellaret, inungereique, quod ejus judicium sanctum* apud

(a) V. Adelmum in annal. Regum Franc. ad hunc annum,

apud Francos fore non dubitaret, Regnumq; paternum ad adolescentulos rediturum.

Hærebat interim Constantinopoli Copronymus Imperator Italiae suæ immemor negligensq; . Exarchi, ut in alieno fieri amat, otio & præsentibus fruebantur delitijs futurorum incurijs. Hadrianus ergo pontifex Maximus Carolum Regem implorat, qui florentissimis armatorum copijs cinctus binâ clade custodijs cæsis, Alpes penetrat, Desiderium ejusq; exercitus in fugam avertit, ipsumq; Ticino includit. Sequenti anno sedente ad Ticinum exercitu Carolus cum regni sui Ducibus Romam profectus, illic Paschalia agit, donationem à Pipino factam suâ omniumq; Regni Ordinum auctoritate confirmat, Ticinum redit, sextoq; mense obsessum, morbo in Longobardos grassante tandem expugnat. Desiderius cum uxore captus Leodium deportatur. Aldagifus filius maritimo itinere Constantinopolim evadit, ubi à Copronymo humaniter acceptus, & Patricius factus. Hic Regni Longobardici occasus fuit sexto supra ducentissimum, quàm capisset anno. Gallicis præsidijs omnia firmata, Carolus novo Regno auctus, & Ecclesia metu hostis tam præpotentis sæviq; tandem liberata, & velut post longam tempestatem in portum appulsa est.

Refert Sigebertus in *Chronico*, quod scripsit anno MCXII. Carolum capto Ticino Romam profectum, ibique in synodo centum quinquaginta trium Antistitum ab Hadriano jus accepisse summum Pontificem eligendi, omnesq; Archiepiscopos & Episcopos investendi: quod ex Sigeberto totidem verbis exscripsit Gratianus in *c. Hadrianus 22. distinct. 63.* quæ tamen à nullo ante Sigebertum memoriæ tradita, ne illis quidem, qui vitam & gesta Caroli ad annos singulos scripsere. Immo affirmant omnes eum Ticino capto non Romam, sed in Franciam celeriter profectum Saxones debellaturum. Et Eginhardus, qui Carolo à secretis fuit, expressè habet Carolum non nisi quater Romam profectum, hoc videlicet anno in expeditione Longobardica; & DCCCLXXX. Voti causâ; & DCCCLXXXVI. contra Ducem Benevantanum; & DCCC. quando Imperator à Leone III. est renuntiatus. Sed cui bono Sigebertus hoc fingeret? audi Morerum in suo *Dictionario Gallico* & ipsum Galium in vita Sigeberti: *Sigebertus*, inquit, *Henrico IV. contra Gregorium VII. Urbanum II. Paschalem II. Summos Pontifices adhesit, qua causa illi fuit,*

ut multa scriberet, non in prajudicium tantum sedis Apostolica, sed etiam falsa & petulanter effusa. Vide etiam Spondanum æquè Gallum ad annum DCCLXXIV. num. 3. quæ ad eundem annum etiam Baronij sententia est. Sed pace eminentissimi Baronij, cui omnem venerationem meritò profiteamur; veriùs videtur Canonem Hadrianus: legitimum omnino esse, cum habeat canones alios consonantes videlicet. *c. in Synodo 23. distinct. 63. c. Ego Ludovicus 30. eadem distinct. & Gratianum ad c. sacrorum Canonum eodem loco*: quos omnes falsitatis arguere, & est difficile, alijsque idem faciendi exemplum præmunire, & toti Decreto auctoritatem ac fidem abrogare: maximè cum hoc privilegium ab Hadriano Imperatori concessum, à Ludovico & Ottone I. Ecclesiæ remissum fuerit, illique renuntiatum, ut patet ex *c. ego Ludovicus, distinct. 63. & sequentibus*. Neque hoc est absurdum, electionem Papæ fuisse Imperatori concessam; licet enim potestas & jurisdictio papalis non proveniat ab homine, vel eligentibus, qui potestatem, quam ipsi non habent, alijs concedere non possunt. *Reg. 79. in 6. Sed à solo DEO immediatè. c. novit de judicijs*. Nominatio tamen & designatio personæ est ab homine, subjacetque humano Juri, & sæpè pro temporum ratione quoad modum designandi, vel eligendi personam variatum est, ut patet ex *c. in nomine, distinct. 33. c. nosse, distinct. 63. c. licet, de electione. c. ubi. eodem in 6.*

Anno DCCLXXVI. Aldagifus Desiderij filius classe à Græco accepta in Italiam solvit, cujus advenientis famâ excitatæ Longobardorum reliquæ: inter alios Rogaudus Foro-Julienfium Dux arma contra Gallos capit, & exercitum ducit. Sed Carolus in Italiam pervolat miratque celeritate Rogaudum in ipso belli apparatu opprimit, cæditque. Aldagifus desperatis jam rebus, Regni que repetendi spe omni consumptâ in Græciam vela facit.

Anno DCCLXXXVIII. Simultas inter Francos Græcosque prorumpit. Imperabant Orienti Constantinus & Irene mater, qui auditis Caroli victorijs non tantum de Italia repetenda, Græcis erepta, nihil cogitabant, sed insuper legatos in Galliam miserant, qui & victori gratularentur, & ejus filiam Rotrudem Imperatori peterent, pacem que inirent: quæ omnia a Carolo benignè præstita, eo que magis, quod speraret posse hisce nuptijs Orienti Occidentem conjungi. Sed Irene potentiam Caroli verita, timensque
ne

ne Francos semel admissos excludere numquam Imperio posset, sibiq̄ commune cum filio sceptrum excuterent; nuptias subito abruptis, filioq̄ quantumvis invito, & alijs amoribus flagranti Armenam jungit, Mariam nomine, & Carolum invadit auctore belli & Duce Aldagiso Desiderij filio. Sed victi omnes fortunâ & virtute Caroli; Aldagisus interemptus, & ita ultima Regni Longobardici favilla in ipso micandi conatu penitus extincta bellumq̄ in Græcos aversum.

Anno dccxcv. Hadrianus Papa deletis Longobardis florenteq̄ Italiâ moritur. Eâdem die Leo III. mortuo susceptus tanto omnium consensu, & virtutum, quibus præfulgebat, admiratione, ut Hadrianum obumbraret: hinc nata invidia & conspirationes.

Anno dccxcix. Paschalis & Campulus Hadriani Nepotes Leonem III. publico ritu litanias majores obeuntem cum armatorum manu invadunt, & in terram dejecto oculos effodiunt: sed eâdem nocte à Beatis Apostolis sanitati redditus, elusis custodijs Paderbornam ad Carolum evadit, ejusq̄ armis se, mitramq̄ vix capite hærentem committit. Humanissimè à Carolo exceptus, & cum magno optimatum & Antistitum numero Romam præmissus, Rege mox secuturo. (a)

VI. Anno dccc. Hic tandem est annus, quo Imperium Occidentis in Francos translatum est, & cujus nostræq̄ Decretalis causâ hanc narrationem suscepimus. Hoc igitur anno Carolus cum exercitu in urbem venit, non tam Leonis, quam Christi injurias vindicaturus. Nunquam Romæ tantum exterorum mortaliū fuit, duo maxima Orbis capita videre cupientium. Carolus indicto in Ecclesiam D. Petri omnium Optimatum & Præsulum Franciæ Italiæq̄ conventu causas aperit, ob quas armatus in Italiam venerit. Dein criminatores Leonis producti auditique: cùm subito omnium Antistitum Magnatumq̄ in hæc verba orta conclamatio: *Nos Apostolicam sedem, qua est caput omnium DEI Ecclesiarum, judicare non audemus: nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit: sed sicut ipse summus Pontifex consuevit, jubeat, & canonicè obediemus.* Spondanus ad hunc annum. Dabimus etiam verba Pauli Emilij in histo-

Z 3

ria

(a) Vide Paulum Emiliū in Vita Caroli,

ria Caroli Magni lib. 3. *Rerum Franc.* Cogniturus de Leone Pontifice venerat Rex, cum igitur ad cognoscendam causam confedisset, qui in Pontificem maximum manus injecerant, alienis criminibus audaciam seq. regentes, ultro eum accusabant. Carolus quesitor, Leo idem & accusator & reus. Conjuratores utrumq. & accusatores & rei. Francus dici, recitari, perorari jubebat: haecenus silentium actum. Cum vero ad rogandas sententias descendit Rex, tunc demum patientia silentiumq. ruptum, ac omnis simulatio deposita. Episcopi magis sacrosancta potestatis, quam Regia Majestatis memores, consentienti ore reclamavere: summum optimumq. Regem esse Carolum? sed cui nam tandem de Pontifice maximo iudicium facere fas esset? Susciperet Leo in gremium causam suam: quiq. in ceteros clavium jus haberet, de se quoque ipse incorrupte iudicaret, solo Numine vel teste conscientiae, vel vindice. Idem pluribus citatis refert P. Maymburg. ad annum DCCC. in *hist. Iconoclast.* Leo igitur sibi jus dicturus ambonem conscendit, tactisque sacris Evangelij, solemniter iurejurando innocentiam suam probavit: omnium secuta gratulatio, & perinde ac oraculo caelis lapsa fides Vicario Christi habita. In Sicarios, qui manus Pontifici intulerant, velut Majestatis reos sententia capitis dicta, sed rogante Pontifice exilio mutata. Agebatur dies Natali Domini nostri sacra, & plateas omnes infinita vis mortalium occupaverat, Rege ad sepulchrum D. Petri processuro. Palatio prodijt Franciae Italicaeque nobilitatis flore stipatus, vultu grandi & Majestatis pleno: vibrantibus oculis, & radio quodam, qui venerationem juxta & amorem provocaret, aspersis: promissâ comâ, vultu roseo, lentoque incessu, & qui heroem deceret. Paludamentum humeris injectum ex auro textili multoque adamante adstrictum. Sic per longos spectantium & acclamantium ordines progressus ad tumbam D. Petri in genua procidit. Post longas preces surgenti Leo Papa diadema auro & margaritis grave imposuit, ac Imperatorem Augustumque salutavit. Secuta velut ex condicito Senatûs Populiq. Romani apprecatio confusis vocibus acclamantium: *Carolo piissimo Augusto à Deo coronato, Magno, Pacifico, & Imperatori Romanorum vita & victoria.* Unctio sacra à Leone coronationi addita, sparsum in populos aurum: & sic tandem in Francos Imperium perlatum auctoritate Leonis III. Pontificis maximi, & Senatûs Populiq. Romani consensu.

Francorum, si Paulo, Emilio credimus, origo hæc fuit. Captâ incensâque Trojâ nobilissima civium manus Duce Francione ad Mæotin paludem confedit, illic conditâ civitate. Ex his sedibus Duce Marcomiro in eam Germaniæ partem, quæ nunc Franconia appellatur, concessit, eâque occupatâ Faramundum primum apud historicos Regem habuit (nam Reges jam multò antè habuisse certum est) sicque Francorum Regnum in Germania est natum: quod post Ciceronem ad Atticum testatur etiam D. Hieronym. *inter Saxones videlicet, & Alemannos Franciam incolæ non tam latam quàm validam.* Et Paulus Æmilius, qui res Francicas in Gallia scripsit, uti apparet ex Epigrammate historiae præfixo: *Manifesta, inquit, fides est Franciam Franconiam esse, & inde ortos, qui Francorum postea in Gallijs confedere.* Quæ causa est, ut Innocentius III. *in c. Venerabilem 34. de electione; & Clemens V. Clement. unicâ. de iurejurando* dicant, Imperium à Græcis ad Germanos translatum fuisse in persona Magnifici Caroli, quem tamen *ex c. ego Ludovicus distinct. 63.* constat fuisse Regem Francorum: quod omnes etiam historici tradunt, ut appareat & Francos Germanam fuisse Gentem, & Carolum Germaniæ imperâsse, immo in Germania natum esse, quod manifestum est, ex nominibus quæ ventis & mensibus germanicè imposuit, teste Eginhardo *in vita Caroli.* Sub Probo Imperatore suos in Gallia à Romanis interemptos vindicaturi totum penè Romanum Imperium terrâ marique Franci incursârunt, captis Syracusis. A Constante, cum Gallias invadere parant, victi, & Romanis fædere juncti, tandem patrium solum egressi, Duce Clodione, circa annum Christi ccccxxv. Rhenum transmittunt, in Treviros & Gallias penetrant, & sub Marciano Imperatore anno dlvi. ductu Childerici Francorum Regis feliciter Galliæ sapiùs occupatæ perditaque potiti Regiam Parisijs figunt, testibus Sigeberto *in Chronico & actis S. Genesive.* Spondano ad annum cccclvi. *P. Maymb. de la decadenze l. 1. f. 4.* Sub Clodovæo Rege mirum, quantum Francica potentia & Regnum excrevit: cum enim Alemanni, hoc est, Germani, qui Rheno à Gallis, Alpibus ab Italia dividuntur; Sicambros Francorum Socios bello vexarent, Clodovæus Alemannis acie & miraculo victis, eorumque Rege occiso Alemanniam Regno Francico adjunxit. Sed regnante Carolo, de quo nunc agimus, res Francica ad summum potentia gloriæque pervenerat, Boiariâ, Italiâ, Sclavoniâ,
Dal-

Dalmatiâ, Istriâ, Daciâ, quæ Walachiam, Moldaviâ, & Transylvaniam complectitur, Pannoniâ totâque Germaniâ, quæ Rheno, Danubio, Oceano septentrionali, & Vistulâ fluvio continetur, in potestatem redactis, & aliquâ insuper, citra Iberum amnem, Hispaniâ parte; ut planè dignissimus tunc fuerit Carolus, cui tot victorijs, & pietate insigni Imperium deferretur.

VII. Et fuerunt omnino causæ quàm plurimæ, quæ hanc translationem Leoni Pontifici Maximo in Francos persualerunt. Summa erant in Romanam Ecclesiam Regum Franciæ merita, quæ jam præcesserant. Clodovæus morti proximus coronam auream, gemmisque distinctam, quam Regnum vocant, B. Petro dono miserat, quasi Francorum Regnum Ecclesiæ defendendæ oppignorasset. Hincmarus *in vita S. Remigij*. Eisdem Francos tot jam Pontifices, cùm periclitabantur, appellaverant, Pelagius, Gregorius, Stephanus, Adrianus, Leo, felici semper eventu. Pipinus bis in Italiam cum exercitu descenderat, sedemque Romanam à barbaris jam ultimò exspectantem liberaverat, donatisque amplissimis patrimonijs ex serva Reginam fecerat. Carolus ipse in præfatione ad sua capitularia inter alios titulos hunc velut maximè regium suo nomini præfixerat: *Carolus Rex Francorum devotus S. Ecclesiæ defensor, humilisq; adjutor*. Et ad Episcopos Hispaniæ in litteris contra hæresin Nestorianam: *Carolus Rex Francorum & Longobardorum, Patricius Romanorum, filius ac Defensor sacre & Romanæ Ecclesiæ*; & in testamento filijs Regibus ante omnia mandavit, curam & defensionem Romani Pontificis susciperent. Verba testamenti sunt: *Super omnia autem jubemus, ut ipsi tres fratres curam, & defensionem sancti Papa simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo, & beata memoria genitore Pipino, & à nobis postea suscepta est, ut eum cum omni adjutorio ab hostibus defendere nitantur*. Quod testamentum, eoque contentam Regnorum inter filios divisionem Leoni III. per Eginhardum à secretis confirmandam postea transmisit. (a) Idem deniq; Carolus jam quartâ vice armatus in Italia & pro Ecclesia stabat; cui ergo Imperium Occidentis majori jure, majorique merito Pontifex deferret? Accedebat jam à tempore D. Augustini vulgatum inter Patres Vaticanium: *Francorum Regnum perpetuum fore, nec ante mundi finem destitutum*.

(a) Aimoinus lib. 4. c. 94. Ado Viennensis in Chronico. Spondanus ad Annum DCCCVI.

rum. Meminit hujus Vaticinij D. Augustinus in libello de Antichristo. tom. 9. Quæ omnia si cessarent, necessitas tamen extorquebat omniratione major. Quis enim tunc temporis Romanam Sedem arcemque Religionis contra Barbaros Græcosque alius tueretur? Orientis Imperium olim sub Theodosio totâ Asiâ, Africâ, & Europâ florentissimum jam Barbari majori ex parte obtinebant, Bulgari videlicet, Avares, Saraceni. Vix tanti dominatûs reliquias in minori Asiâ, Thracia, Græcia, Macedonia Imperatores Græci possidebant, & hanc ipsam tantulam partem hæreses multæ, sævæ, cruentæque vastabant, & præsertim Iconoclastarum, quæ à Leone Isaurico nata, per Constantinum Cöpronimum, & Leonem Armenum Imperatores ducta, plus Catholici sanguinis hauserat, quàm sub Cæsaribus ethnicis antiquæ persecutionis: nec contenta Orientem corrupisse, per edicta & insidias Exarchorum in Occidentem & Italiam devolabat, summo Religionis discrimine. Accedebant domesticæ clades, discordiæque, Irene Imperatrice cum filio Constantino de Imperio pugnante. Solus ergo, qui pulsata tot periculis Ecclesiæ subveniret, Carolus Magnus supererat, & vicinus & potens, & pietate potentiam æquante. In hunc igitur summa rerum deposita est, præstitumque juramentum, cujus forma in libro Rituum habetur, & videri potest apud Spondanum anno DCCC. n. 3.

Hiems Romæ à Carolo acta, resque Urbanæ & Italicæ curatæ: leges etiam ab illo editæ, quas viginti tribus capitulis comprehendit, inter quas una habetur *Can. 3. distinct. 19.* in hæc verba: *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, ut, qua nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiastica magistra rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, & piâ devotione toleremus.*

VIII. Româ profectus Carolus Aquisgrani Legatos Irenes Imperatricis audivit, nuptias & pacem ferentes. Rerum in Oriente potiebatur Irene Leonis IV. jam functi vidua, sæmina rarâ pulchritudine parique prudentiâ, eoque Imperio aptissima, amore cum potentia fœderato, & quod vires non poterant, vultu impetrante: sed dominandi ambitio tot in illa dotes corruptit. Filium unum ex Leone susceperat Constantinum juniorem, hunc custodia

tradit, & matris oblita oculis privat. Si Theophani credimus, sol ipse indignatus usque in septimum diem pertinaciter latuit, nec Constantinopoli luxit ecclipsi hætenus invisâ. Naves subductâ luce, fama est, aut cæco errore vagatas, aut portu & itinere amisso in anchoris stetisse. Ubi ergo audivit Irene, Carolum in Occidente Augustum acclamatum esse, & ipsa ratum habuit, & insuper nuptias & Orientem missis legatis in dotem obtulit; sed ecce negotio adhuc calente Nicephorus I. Imperium invadit, Irene procul relegatâ, & Constantino Leonis filio jam nuper defuncto. Nicephorus Caroli legatos benignè acceptos, donatosque domum remittit, istoque fœdere Neapolim, Siciliam, Calabriam sibi retinet, reliquum Occidentem cum titulo & insignibus Imperatorijs Carolo permittit.

Vides Lector velut in tabula breviq̄ue compendio totum hujus translationis contextum, & rerum in Occidente, & Oriente statum, longâ forsan narratione sed necessariâ, cùm rerum gestarum ignorantia multis imposuerit. Nec unum tantum, sed plures actus potestatis à summo Pontifice in Reges exercitæ animadvertes; Cùm Gregorius II. Caroli Martelli protectionem imporat defertq̄ue Romanum consulatum: Cùm idem Gregorius Leonis Isaurico in Catholicos savienti tributum à Romanis pendi solitum abrogat: Cùm Zacharias à Childerico stupido ultimo Merovingicæ stirpis in Pipinum Regem potestatem, & Regnum transfert: Cùm Stephanus Papa Pipino & filijs Regnum confirmat, Regniq̄ue proceres solemnijuramento adigit, nunquam ex alia, quàm Pipini, hoc est, Carolina stirpe Regem admissuros: Cùm Hadrianus Papa Carolum & Carlomannum Reges, nuptijs cum Longobarda severè prohibet: Cùm idem Hadrianus à Desiderio Longobardorum Rege, sæpe & importunè pulsatur, ut nepotes ex filia legitimos Regni hæredes pronuntiet: Cùm denique Leo III. Carolum Augustum dicit, coronâ & Imperio Occidentis donat.

IX. Enimverò factam esse hanc Imperij translationem auctoritate Leonis III. Summi Pontificis, probat Bellarminus testimonijs 35, historicorum, quorum verba describit; duodecim Imperatorum, aliorumq̄ue Principum, & septem summorum Pontificum suffragijs, quorum testimonia eo prætextu rejici utique non possunt.

possunt, quòd in propria causa testari videantur: cùm supremus Princeps non tantùm testis, sed iudex esse possit etiam in sua causa. *l. un. Cod. si quis Imperatori maledixerit. l. 54. Cod. de Decurionib. c. cùm venissent 12. de iudic. & ibi Abbas n. 6. Godofred. ad c. ne quis in sua causa. Azor. p. 3. lib. 2. c. 7. q. 4. Laym. lib. 1. de conscientia c. 5. n. 7.* Estque communis sententia, posse Episcopum vel alium Prælatum esse iudicem in causa propria Ecclesiæ, Abbas in *c. 1. de maledicis*: & ipsa experientia, & praxis etiam in Gallijs recepta convincit, ubi lite circa Regiam dignitatem & jura coronæ ortâ, nullus alius præter Regem, aut Regis Ministros iudex admittitur, ab eoque, cujus causa agitur, sententia fertur, & bellum jam indicitur: quantò id verius erit in Vicario Christi? Cùm enim tribunal Vicarij sit tribunal ipsius Principis, adèd ut à Vicario ad Episcopum appellari non possit. *c. 2. de consuet. in 6. c. Romana. de appellat. in 6.* Eodem modo dicendum erit, tribunal Papæ esse tribunal Christi, nec ab alio lites Pontificiæ dignitati motas, quàm ab eodem Papa finiri posse: & consequenter ejus testimonium, immo sententiam tanquam suspecti non posse recusari, quod omnes etiam Præsules, & optimates Galli confessi sunt, qui teste Maymburgo in *histor. Iconoclast. initio anni DCCC. in senatu Romano conclamârunt: Romanum Pontificem à nullo judicari posse, sed iudicem sibi esse.*

Verùm ut res ista de translatione Imperij per Pontificem Romanum facta omni prorsus suspicione, & vel umbrâ careat, dabimus testimonia historicorum, quorum aliqui aut Græci aut Galli, aut reformatæ Religionis fuerunt, nullamque admittunt exceptionem.

Zonaras author Græcus Tomo 3. *annal. in Vita Constant. & Irenes: Româ prorsus Franci potiti sunt Carolo à Leone coronato, Romanorum Imperatore appellato. & infra: Sub Constantino & Irene, Papa Leo Francos etiam Romam admisit.*

Paulus Diaconus, qui tempore Caroli Magni floruit *lib. 23. rerum Romanarum. Leo, inquit, vicem Carolo recompensans, in Imperatorem coronavit eum.* Observa hanc coronationem beneficium Leonis appellari, & consequenter ejus voluntate & jussu factam.

Orto Frisingensis ad annum DCCC1. *Carolus, inquit, Rex à summo Pontifice ablato Patricij nomine coronatus, omni populo tunc acclamante:*

Carolo Augusto, à DEO coronato, Magno, & Pacifico Romanorum Imperatori Vita & Victoria.

Abbas Urspergensis in Chronico anno DCCXCVI. Leo Papa ordinatur, hu Carolum fecit Imperatorem. Et infra; Anno DCCCI. Carolus Magnus Rex Francorum consecratus est Imperator, cum enim Natale Domini Romæ celebraret, in ipsa die sacrausissima ad Missarum solemnità veniens nihil minus speranii Leo Papa coronam imposuit, & Imperatorem Romanum pronuntiavit.

Lupoldus Bambergensis in præm. lib. de juribus Imperij. De sacri Regni, & Romanorum juribus à tempore translationis ipsius Imperij de Græcis Imperatoribus ad Reges Francorum, & ad Germanos, per sacrosanctam Ecclesiam facta tractaturus, &c.

Joannes Trichemius. Leo Papa III. natione Romanus, sedit annis 20. Vita Sanctimoniam clarissimus, Carolum cognomento & opere magnum, ad Imperium Romanum unxit, & hanc dignitatem à Græcis in Francos transfudit.

Albertus Kranzius. Non habetur Imperator, nisi quem Romanus Pontifex confirmavit, & consecravit. Domini enim est terra, & plenitudo ejus: ipse transfert regna & Imperia, dignissimeq; ad suum Vicarium hoc sacrum ministerium delegavit.

Spondanus Gallus non tantum referens, sed etiam approbans, quæ Baronius de hac translatione scripserat (ut patet ex appendice minusculis adjecta) ad annum DCCC. sic loquitur: Non tantum Eginhardus aut Anastasius de collata per Leonem Romanum Pontificem dignitate Carolo M. sunt testes, sed & fatentur id ipsum Latini omnes & Græci auctores. Quod autem ejusmodi translatio Imperij ab Oriente in Occidentem divino consilio facta fuerit, magno Republica Christiana emolumento; & Imperij Orientalis desolatio, & alia eventa satis superq; demonstrarunt.

Horatius Turfelinus in Epitome historiarum Lugduni edita, Lugduni approbata, & à Regio Advocato edi permissa: Pontifex, inquit, illustria in Ecclesiam Romanam Caroli merita remunerans, eum Imperatorem appellat, tutelam Ecclesie tradidit. Ita Romanum Imperium ob destitutum à Græco Imperatore Ecclesie patrocinium pervenit ad Francos.

Joannes Cluverius homo reformatæ, ut vocant Religionis, eoque, ut ex toto historiae contextu patet, Pontifici infestus ad Annum DCCII. Leo III. inquit, Hadriano Pontifici successor datus, populum in Caroli verba adiecit, vexillo Romane Urbis ad ipsum transmissis: ob id, & ob crimina, quæ illi objectabantur amuli, indignissime habitus oculorum suorum privatione

tione damnatur. Et infra ad annum DCCC. Leo gratiam relaturus benefactori tanto, Carolum in D. Petri Basilica solemniter pronuntiat Augustum, coronâ capiti impostâ, acclamantibusq; Romanis: Carolo Augusto, à Deo coronato, Magno, & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria.

Daniel Pareus, & ipse Reformatus in medulla historiæ, ubi agit de Leone III. Isaurico: Extinctis bellis Leo in Religionis reformationem incumbens Idola omnia destrui, templisq; Christianorum ejici jussit (sic imagines sacras homo Lutheranus appellat) propterea à Ionomachum ipsum vulgus appellavit. Gregorius III. Pontifex Romanus ea in re tantum offensus est, ut excommunicationis fulmine feriendum Leonem censuerit, subditos etiam Imperatoris in Italia, hoc est, Regimine Exarchorum omnium fidei nexu, tum tributorum pendendorum necessitate solvit; quod avellenda à Græcis Italia, Francosq; ad Imperium vocandi, initium fuit.

Vides, quid veritas possit, quæ illis etiam confessionem extorsit, qui tamen, si possent, maximè vellent negare.

Sed addemus coronidis loco testimonium omni majus exceptione, & in quo vel ipsa invidia nihil habeat, quod rodat. Anno DCCCLXXI. Basilus Macedo Orientis Imperator, ad Ludovicum II. Caroli pronepotem legationem cum litteris adornavit per Joannem Patritium. Quibus cum eodem Ludovico acriter questus est, quòd dignitatem, & nomen Imperatoris, & Basileæ usurparet; unum tantum Imperatorem esse, qui Orienti & Occidenti imperet: rogavitq; hoc nomine deinceps abstineret, sibi, nec alijs debito. Ludovicus & ipse Autprandum Constantinopolim Legatum cum litteris Basilio misit, quas Baronius ad annum DCCCLXXI. recitat, ubi inter alia hæc scribit: Et ipsi Patruum nostri gloriosi Reges absque invidia Imperatorem nos vocitant, attendentes ad unctionem & sacrationem, quâ per summi Pontificis manus sumus ad hoc culmen proveci, &c. & infra. Præterea mirari se dilectâ fraternitas tuâ significat, quòd non Francorum, sed Romanorum Imperator appellemur: sed scire te convenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, utique nec Francorum. A Romanis enim hoc nomen, & dignitatem assumpsimus, quorum gentem & urbem divinitus gubernandam, & matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam, atque sublimandam suscepimus, ex qua & regnandi prius, & postmodum imperandi auctoritatem prosapia nostra seminarium sumpsit. Nam Francorum Principes primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt, si duntaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt, &c. Præsertim cum tales sæpe ad Imperium sunt asciti, qui nullâ divinâ operatione per Pontificum

ministerium propositi, solum à Senatu & Populo Imperatoriâ dignitate potiti sunt: nonnulli verò nec sic, sed tantum à militibus sunt clamati & in Imperio stabiliti, aut alto modo ad Imperij Romani scepra promoti sunt. Porro si calumniaris Romanum Pontificem, quòd gesserit, calumniari poteris & Samuel, quòd spreto Saule quem ipse unxerat, David in Regem ungere non reuerit. Sed interim si paginas revolvas Græcorum Annalium, & si quæ à vestratibus Pontifices Romani pertulerunt, perscruteris, profectò inuenies, unde illos justè non valeas redarguere; unde meritò apostatis desertis adhaerunt genti adhaerenti DEO & ipsius Regni fructus facienti, &c.

Vides ex hisce Ludovici litteris eum apertè fateri se Pontificis operâ ad culmen Imperij prosectum. Imperium à majoribus suis non usurpatum, sed DEI nutu, & Ecclesiæ judicio summiq̃ue Pontificis obtentum esse. Observa non illum jus belli, hæreditatis, vel electionis à populo senatuq̃ue Romano factæ prætexere, sed solam Pontificis auctoritatem; quâ Imperium, suiq̃ue majores etiam Regnum acceperint, operâ videlicet Zachariæ Papæ, qui Childerico in ordinem redactò, Regnum Francicum ad Carolinos transtulit. Immo expressissimè Ludovicus distinguit, Aliosq̃ à Senatu, Populo, Exercitu, aliòve modo Imperium adeptos: se verò divinâ operatione per Pontificum ministerium sacramq̃, unctiõnem, & à Matre omnium Ecclesiarum regnandi prius, & postmodum imperandi auctoritatem, prospècia sua seminarium sumpsisse. Hæc omnia verba sunt Ludovici Imperatoris, quibus nostro judicio nihil clariùs dici potuit. Unde Spondanus litterarum summam compendio referens ad Annum DCCCLXXI. n. 3. His litteris acceptis, inquit, Ludovicus misso ad Basilium Imperatorem legato acrem satis dedit epistolam apologeticam, quâ inter alia multa fusè ostendit, ejusmodi appellationem Basilei non esse peculiarem Græcis Imperatoribus, sed etiam competere alijs principibus; maximè verò Francis, qui eam dignitatem acceperint à Sede Apostolica ob egregiam ipsorum fidem in DEUM & Ecclesiam Romanam, &c.

Hæc Spondanus; quæ nunquam ipse Gallus scripsisset, nec Ecclesia Gallicana, cui librum dedicavit, scribi passâ esset, nisi vera credidissent; maximè cum Spondanum ob pietatem, eruditionem, zelumq̃ue præsertim Catholicæ Religionis tota Gallia veneretur, Ludovico XIII. præcharus, & cui ob merita Episcopatum detulit. Ac denique testatur in suo dictionario Gallico Morerus, & ipse Gallus, Spondanum ob assiduos in Ecclesiam labores à Pontifice maximo
 eologia,

elogia, à Rege suo amicitiam, ab omnibus Christi fidelibus aeternam memoriam & benedictionem retulisse.

Notandum tamen ad majorem hujus rei intelligentiam: duplicem fuisse coronationem & electionem Imperatorum, alteram privatam tantum, & quæ Pontificis auctoritate non indigebat; quâ ratione Carolus filium Ludovicum Aquisgrani in Conventu optimatum Imperatorem dixit, teste Eginhardo *in vita Caroli*. Alteram publicam solemnem, & per quam jus plenum ad Imperium dabatur, & hæc teste Ludovico ipso, ut audivimus, ad solum Pontificem spectabat, aded, ut Carolus in celebri testamento apud Pithæum & Baronium *ad annum DCCCVI.* cum Regnum filijs divisisset, nullam Imperij Romani mentionem fecerit; quamvis enim Imperium esset hæreditarium, ex gravi tamen & omnino publica ac necessaria causa suberat Pontificum dispositioni, ut audivimus, & ided Imperator Carolus conditum testamentum per Eginhardum à Secretis aulicum ad Leonem Pontificem subscribendum misit.

X. Hæc quantumvis ita sint, & ex ipso historiae decursu scriptorumque supra omnem exceptionem testimonijs probata, non omisit tamen Ludovicus Maymburg ea impugnare, *in hist. Iconoclast. lib. 4. ad annum DCCC.* ubi cum dixisset, *Carolus M. Imperium Occidentis & ipsam Italiam jure belli occupasse, Romam verò populi Romani donatione; nec aliud à Leone Papa quàm coronam, hoc est, non ipsum Imperium, sed insignia tantum nudamq; caremoniam accepisse, immo nec istam, nisi civium Romanorum precibus compulsus, eum sine fine Augustum acclamantium, tunc enim nec prius à Leone coronatum.* Hæc, inquam, postquam Maymburgus probare conatus esset, nec enim probavit, ut ostendimus, adjungit, *Se quidem de hac Imperij translatione nolle sententiam pronuntiare, eamq; arbitrio lectoris committere; principia tantum posuisse, ex quibus rei veritas facile deduci possit: eum verò qui alia quàm ipse principia statuatur, omnino errare, & à vero abluere, pulchrasq; rerum chymeras, & imagines, velut somniantem ante oculos ponere, qua delectent quidem, sed nunquam fuerint, idq; eo fine, ut factum illud defendant, quod nunquam evenerit, sed quod cuperent evenisse.* Hæc Maymburgus. Idem

Nolo, inquit, decidere, an Carolus à Pontifice Imperium acceperit; sed non accepit. Nolo dicere, quis illi hanc dignitatem contulerit; bellum contulit populusq; Romanus. Lectoris esto arbitrium; sed si aliter, quàm ego sentiat, errat, somniat, & in omnem historiam impingit. Hoc videlicet est nihil decidere, & rem in medio relinquere, Sed

Sed audiamus rationes, quibus Maymburgus sibi persuadet, scriptores omnes, Græcos videlicet, Latinos, Gallos, Catholicos, A catholicos somnare se uno vigilante: eas ad hæc capita reducit.

Primo, inquit, *certum est Carolum M. jure partim hereditatis, partim belli tantum in Occidente terrarum possedisse, quantum alius ante illum Imperator Occidentis: quid potuit ergo à Leone Papa præter titulum accipere & insignia, Imperio jam dudum potius? immo ne titulum quidem & coronam à Leone necessario accepit; cum enim toto jam Occidente dominaretur, potuit suo jure Imperator Occidentis appellari. Secundo cum dono & spontanea Senatûs Populiq; Romani subjectione Romam ipsam caput Imperij tenuit, nihil Carolo defuit, quod à Pontifice posset obtinere: sicut enim & Odoacer & Theodoricus Italiâ, Româque potiti nomen Imperatoris induerunt, repugnante nullo; multo magis id potuit Carolus: sed abstinuit modestia causâ, dum tandem populo impatienter id flagitanti cederet.*

Hactenus Maymburgus loco citato, eadem omnino, nec aliud afferens, quàm quæ jam dudum à Matthia Flaccio Illyrico Lutherano producta, & à Bellarmino *in l. de translatione Imperij* refutata sunt, quò lectorem remittimus, nonnullis tantùm additis, quæ veritati & historiæ lucem afferant.

Olim Imperatoris nomine appellabantur omnes, qui bello alicui præerant: propriè tamen nemo id nominis consequeretur, nisi re bene gestâ, atque aliquot millibus hostium cæsis, tunc enim acclamatione militum, vel Senatûs decreto Imperatoris nomine donabatur. Cicero *2. Epistolarum epist. 10.* Postea nomen Imperatoris proprium perpetuumque principis Romani ex Senatûs consulto esse cœpit: & auctore Suetonio prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ primus assumpsit Julius Cæsar. *In ejus vita c. 77.* Octavius verò Julij Successor, tum reliqui ab eo Cæsares, Imperatores sunt appellati: nec verò poterat aliquis, quantumvis potentissimus lateque dominans nomen & jura Imperatoris vindicare, nisi qui legitimo ordine Imperatoribus & principibus Romanis succederet: hi soli Imperatores & græcè Basilei vocabantur, alij Reges tantùm; quæ causâ fuit Basilio Imperatori Græcorum per litteras legatosq; graviter cum Ludovico II. expostulandi, quòd Imperatorem, non Regem se diceret. Spondanus *Anno DCCCLXXI.* Et in Synodo universalis Constantinopolitana nomen Imperatoris Ludovico à Pontifice datum, dolo Græcorum in litteris Apostolicis expunctum est

teste

teste Anastas. *in vita Hadr.* Et An. DCCCCLXVIII. Legati ab Ottone I. pacis & nuptiarum causâ Constantinopolim missi à Nicephoro Phoca pessimè habitî, quòd Otto se Imperatorem vocaret. Anno MLV. Legati ab Henrico II. ad Concilium Turonense missi graviter eâ causâ conquesti sunt, quòd Ferdinandus Magnus Castellæ & Legionis Rex jura sibi titulumque Imperatoris vendicaret, & Henrico Cæsari parere nollet: qui tamen Ferdinandus Victori II. Pontifici, alienis titulis abstineret, & regio contentus esset, monenti, modestè acquievit. Immo antequam jus eligendi Imperatorem ad Septemviros transferretur, injussu Pontificis Imperator dici nemo potuit. Audi Glabrum *lib. 1. in fine circa Annum MXIII.* hujusmodi decretum recitantem: *Cùm Henricus I. Romam veniret, hujusmodi Decretum factum est, ne quisquam audacter Imperij Romani sceptrum præpropere gestare Princeps appetat, seu Imperator dici aut esse valeat, nisi quem Papa sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ eiq; commiserit insigne imperiale.* Cujus decreti hanc idem Glaber affert rationem, *Quòd olim ubique terrarum quilibet Tyranni se se procaciter impellentes sapissimè essent Imperatores creati, quamquam minus apti Reipublicæ.* (a) Nec annus Imperij priùs numerari captus, quàm coronâ Imperioque à summo Pontifice acceptis; sicque non à die successionis, vel obitu Imperatoris, sed à die coronationis per Romanum Pontificem calculus ducebatur, ut de Carolo M. expressè Abbas Urspergensis ad Annum DCCCL. De Carolo Crasso ex ejus diplomate Metis dato apud Baronium ad Annum DCCCLXXXI. De Arnulpho ex Synodo Moguntina Anno DCCCLXXXVIII. quæ Arnulphum Regem tantùm, non imperatorem vocat. De Henrico sancto ex privilegio ejusdem Monasterio S. Vincentij ad fontes Vulturni concessio, & alio Ecclesiæ Novariensi, manifestum est.

Ex quibus omnino constat, coronationem illam non fuisse honorariam, nudamq; cæremoniam, ut post Illyricum (cujus planè nec alijs argumentis utitur) voluit Maymburgus, alioquin non ab hac velut à re non necessaria, sed à successione in Paternum Regnum anni supputarentur, quemadmodum hodie, postquam potestas eligendi in Septemviros translata, nec coronatio necessaria, sed nuda cæremonia est, vidimus annos Imperij non à coronatione,

Bb

ne,

(a) Videatur Banuinus de comit. Imper. & Spondanus Anno MXIV,

ne, sed electione duci. Et patet vel ex ipso Maymburgo, qui *lib. 4. hist. Iconoclast. ad Annum DCCC. ex gestis Ludovici c. 16.* hæc verbatim ad marginem notat: *Qui Stephanus IV. statim, postquam Pontificatum suscepit, iussit omnem Populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico.* Hæc Maymburgus, quæ ex Thegano descripsit in *lib. de gestis Ludovici Pij Caroli M. filij c. 16. 17. 18.* Non ergo intra cæremonias hæc coronatio stabat, sed cum subjectione, & juramento fidelitatis conjungebatur, quâ Imperatori se omnes submittebant, in eoque jura & dignitates non Regis tantùm, sed etiam Imperatoris agnoscebant. Et Ludovicus II. in *epist. ad Basilium data DCCCLXXI.* profitetur se, suosque majores non titulum, sed dignitatem Imperialem beneficio Romani Pontificis accepisse, ut jam suprâ notatum.

Et denique, ut res ista omni careat dubitatione, exstant post annales Francicos à Pithæo editos, & apud Aimoinum *lib. 5. c. 33.* acta Synodi Ticinensis, quæ Baronius & Spondanus etiam recitant *ad Annum DCCCLXXVI. DCCCLXXVII.* in quibus Joannes VIII. & Patres in Synodo congregati, Imperium Carolo Calvo nuper collatum iterum confirmant, anathemate damnatis, qui pro legitimo Imperatore illum non agnoscerent. In hac Ticinensi Synodo expressè & luculentis verbis declaratum, Imperatoris coronationem non fuisse nudum ministerium, externumque ritum, *Sed veram electionem, approbationem, & secundum priscam consuetudinem, provectionem ad Imperij Romani sceptrâ.* Videantur acta Concilij *S. unde nos tantis indicijs & c.* Quæ acta ab Episcopis Gallix confirmata omnino, & recepta sunt in Concilio Pontigonensi in 2. actione apud Aimoinum *lib. 5. c. 33. n. 4.* Et fatetur Spondanus *ad annum DCCCLXXVI. n. 2.* Vide Gretzerum *apolog. Baroniana c. 15.*

Ubi animadvertè, cum hanc à Joanne VIII. factam coronationem, aliasque similes adducimus, non esse nobis animum omnes Pontificum actiones tueri, quos fuisse homines, & in hujusmodi errori obnoxios fatemur, sed potestatem solùm ostendere, ab illis exercitam, ab omnibus agnitam; ut planè agnoverunt Episcopi Gallix in Concil. Pontigonensi, qui cum Anlegifus Archiepiscopus Senonensis primatum affectaret, potentiam Imperatoris, & privilegio subornato fretus, constanter obstiterè, immo hoc ipsum Imperatori minaciter & importunè urgenti, animosè à Rhemenfi Archiepiscopo responsum: id sacris Canonibus, & Ecclesie

clesiæ Gallicanæ privilegijs obviare, nec aliud ab Episcopis responsum impetrari potuit, ne ad Synodum quidem comparere volentibus. At verò ubi de Imperatoris electione, & coronatione à Pontifice facta cœptum agitari, continuò ab omnibus recepta & approbata est, utique repugnaturis, si potestatem in Pontifice non agnoscerent. (a)

Hiscæ animadversis manifesta est responsio ad objecta Illyrici potiùs, quàm Maymburgi : Carolum videlicet M. antequam à Pontifice Romano Augustus renuntiaretur, potuisse Franciæ, Germaniæ, Italiæ Regem, non Imperatorem vocari, vivente adhuc & dominante, orbis utriusque Occidentis & Orientis Imperatoribus, Constantino videlicet, Irene, Nicephoro, &c. quod vel ipse Carolus ingenuè fassus est, affirmans, se ne quidem Ecclesiam ingressurum, si consilium Papæ prævidisset, ad eò nomen & dignitatem Imperatoriam averfabatur, teste Eginhardo *in Vita Caroli*. Quid recusabat Imperium Carolus, si jam habebat? aut insignia titulumque dignitatis jam bello partæ? non ergo omnis, qui provincias etsi multas magnasque Romanis aliquando subjectas tener, continuò Romanorum est Imperator, alioquin Reges plerique, Hispaniæ, Galliæ, Britanniæ, alijque Imperatores essent. Immo jus Imperij, Monarchiæ, Reipublicæ vel in una civitate & exiguò terræ spatio conservari potest *argumento l. 7. ff. quod cuiusvis universitatis. & docet Clariss. Doct. Herman. Hermes plures allegans in fasciculo jurispublici l. 1. q. 3. n. 30.* Quantò igitur veriùs est, penes Græcos jus Imperatorum steterisse tam multis civitatibus & provincijs in Occidente à Carolo M. nunquam occupatis (Hispaniã videlicet, Britanniã, Apuliã, Calabriã, Illyrico, &c.) antequam à summis Pontificibus illo donaretur ipse Carolus? Quid ergo præter titulum & insignia à Leone Carolus accepit? Respondemus, ut ea ipsa, quæ jam habebat, non jure tantùm Regis & Patricij Romani, ut ante coronationem; sed etiam Imperatoris & Augusti retineret, videlicet cum prærogativis, præcedentijs, superioritate alijsque, si quæ Imperatoribus erant propria; fuisse enim aliqua, multoque ampliora, quàm nunc habeant in supremos Europæ Principes Cæsares nostri, patet ex ijs quæ supra diximus; Henricum

Bb 2

vide-

(a) Vide Aimoinum Gallum, & Monachum Floriacensem Lib. de gestis Francorum c. 33.

videlicet II. de Ferdinando M. Hispaniæ Rego conquestum esse, quòd non titulum modò, sed etiam jus Imperatorium sibi vendicaret, nolletque Cæsaris imperio & mandatis parere. Deinde hâc Leonis coronatione id est consecutus, ut non tantùm, quæ ad Longobardos bello victos, sed etiam, quæ ad Græcos pertinebant, sibi acquireret, cum jure occupandi omnia, quæ constaret, injustè ab alijs in Occidente possideri.

Ad aliud, quod affert Maymburgus, Carolum videlicet deditione Romanorum ipsam urbem Imperij caput & arcem tenuisse; multi sunt qui hoc negant, non tantùm nostrates, sed etiam A Catholicis scriptores, ut videre est apud Illyricum à Bellarmino citatum *lib. 1. de translatione Imperij c. 1. n. 5. & c. 13. ad 11. & Centuriatores centuria 8. c. 10.* Unde mirum est, Maymburgum inter duo illa principia, quæ sole clariora, & à nemine dicit posse negari, rem ponere adèd controversam, hoc est, novâ demonstrandi methodo rem dubiam probare per principium aequè dubium. Demus à Carolo missos, qui Romanum Populum juramento sibi obstringerent, non potuit jussu & auctoritate Pontificis hoc fieri? Immo sic factum esse patet exemplo Ludovici Pij, quod ipse Maymburgus allegat, & nos jam suprâ notavimus; non tam ergo hæc Populi, Senatûsque Romani, quàm Pontificis voluntas & mandatum fuit. Vix aliquem reperias Imperatorem Romanum à Senatu Populoque creatum; sed omnes vel successione, vel à Principe aut exercitu nominati; quis ergo credat Populum Senatûmque Romanum auctoritatis vix umbram aliquam servantem id ausum facere, quod florens vigensque, nunquam fecerat? Sed demus hæc omnia: acceperit Carolus dono Senatûs Populi que Romanam urbem; non sequitur tamen etiam dignitatem Imperialem accepisse, quæ loco & urbi non est alligata, alioquin qui hanc haberet, continuò Imperator Romanorum esset; qui non haberet, non esset: quæ omnia sunt absurdissima, cum illic quoad jura & potestatem sit Roma, ubi est Romanorum Imperator juxta illud Poëta:

Sejos habitante Camillo

Illic Roma fuit.

Vide laudatum Hermen in fasciculo *lib. 1. c. 3. n. 25.*

Ad exempla Odoacris & Theodorici, quos nomen Imperatoris prætulisse Italiâ Româque expugnatis Maymburgus dicit, multò igitur

igitur magis id Carolum suo jure potuisse, sed modestiâ retentum. Respondemus: mirum esse duos & Tyrannos & barbaros ac infideles in exemplum adduci, qui eodem jure nomen Imperatoris, quo Italiam invaserant, hoc est, nullo. Theodorico Constantinopoli educato & contra perduelles pro Zenone egregiè bellis defuncto, constat, ab eodem Zenone triumphum, Consulatum, Equestrem in foro statuam præmio data, oblatamque insuper spem Occidentalis Imperij, cum in filium ab Imperatore jam esset adoptatus, testibus Evagrio *lib. 3. c. 25.* Ennodio *in Paneg. Jordane Episcopo Gotho in Orat. &c.*

Non ergo Theodoricus, ut vult Maymburgus, ob Romam Italiamque occupatam, sed dono Zenonis Imperatorium nomen accepit, quod in tyranni postea mutavit; cum tentato frustra Oriente arma in Italiam vertit Benefactori suo ingratus: nihil ergo exemplum Theodorici probat; nec etiam, quod additur de modestia Caroli: modestia siquidem est aliena non usurpare, nec plus, quam deceat, sibi sumere: ceterum si Carolus ante coronationem à Leone factam jam Imperium bello, aliòve justo modo quaesierat, non erat cur titulum recusaret, sibi que conscientia duceret, illis nomen adinere, quibus rem ipsam & Imperium ademerat; non hæc planè modestia, sed hypocrisis fuerit, à qua nemo magis, ut Carolus, abhorruit, Princeps videlicet bello, victorij & pietati, non fraudibus & imposturæ natus.

XI. Ex his ergo, quæ à nobis hucusque disputata sunt, palàm est, multa esse in historia Maymburgi, quæ notam mereantur. 1. Quod præfatur, se in hoc translationis argumento sententiam non dicturum, aded tamen dicit, ut videatur ex professo id agere, damnatis, qui aliter sentiunt, vanitatis & imperitiæ. 2. Quòd opinionem suam nullo ex historia, aut scriptoribus testimonio & suffragio muniat, duabus contentus rationibus, quæ, ut ostendimus, ne quidem levis conjecturæ titulum merentur: quasi verò historiam ex arbitrio suoque ingenio texere liceat, & non potiùs ex authenticis testimonijs: & quamvis Maymburgus aliquot ad marginem citet, nemo tamen ad rem facit, cum nemo illorum dicat, Translationem Imperij auctoritate Leonis non esse factam, de quo agitur, & quod Maymburgus probandum sumpserat; sed tantum magnam partem Occidentis ad Carolum pervenisse, Ro-

manos Carolo fidelitatem juramento pactos, eidem à populo tanquam Augusto applausum esse, quæ omnia, ut patet, extra questionem vagantur. 3. Quod sententiæ nostræ, tot auctoribus, historijs, rationibus praxique continuâ vallatæ, suam tam leviter probatam non tantum præferat, sed etiam somnare dicat, deludique, qui illam non profitentur, aliam amplexi: enimverò merces suas nec raras nec nobiles, & quarum apud Reformatos tanta copia est, nimis magno hic auctor venum exponit. 4. Quod potestatem transferendi Regna & Imperia, quam Pontifici negat, optimatibus Regni, immo populo concedat. (a) Jam verò longè magis infra dignitatem Principis est, populo submitti, cui imperat, ab ejusque arbitrio in summa rerum pendere, quàm summo Pontifici, Christi que Vicario; nec facillè Principem reperias, qui malit proprijs subditis, quàm Sacerdotum maximo subjici; nec tam suo, quàm DEI nomine imperanti. Quod si judice Maymburgo nihil derogat Principum dignitati, si ex populi judicio pendeant, cum illis videbitur, Regnum & potestatem amissuri, magis derogabit, si Papæ hoc concedamus? & Regni causas non infimæ plebi, quæ levitate, odio, partium studijs luctroque facillè corrumpitur, deferamus? sed Apostolicæ Sedi, à qua utpote remota magisque placabili minùs etiam periculo est; & si concedatur, dari aliquem casum, in quo subditis juramento solutis Regnum Principi abrogari possit, concedi omnino debet, esse in summo Pontifice potestatem judicialiter declarandi hic & nunc subditos juramento non obstringi, sed posse & debere Principem abdicari, eumque jure imperandi excidisse: interpretationem siquidem juris divini, quantum videlicet & in quibus circumstantijs obliget, vel non obliget; sicut etiam causas juramenti ad forum Pontificium pertinere, utpote spirituales in confesso est apud omnes, propter textum apertum & notatu dignissimum *Deut. 17. v. 8.* (b) Quidquid ergo dicatur, vel ex ipsa sententiâ Maymburgi, negari tandem summo Pontifici non potest Reges destituendi potestas, five dicas hanc potestatem esse veræ jurisdictionis, five necessariæ, generalis, & auctoritativæ declarationis & interpretationis, quæ in causis, maxime arduis, qualis est, de qua nunc agimus, ad solum Pontificem pertinet. Deni-

(a) Vide hist. Iconoclast. l. 2. fol. 186. & l. 4. f. 42. & f. 61.

(b) Vide Sanchez de matrim. lib. 8. d. 6. n. 4. Abbatem in c. 1. de postulat. Prælat. n. 18. Laym. de legibus, c. 18.

Denique, ut memoriæ causâ, quæ hucusque de translatione Imperij dicta sunt, brevi dilemmate complectamur. Aut Græci jus aliquod in Occidentis Imperium habebant, cum Carolus Imperator acclamatus est, aut nullum? si nullum, cur ergo Nicephorus Logotheta, qui Constantino & Irene successit, tandem in translationem Imperij consensit, & Neapoli, Sicilia, Calabria, Apuliaque; rerentis, Occidentem Carolo cessit? Maymburgus *lib. 4. hist. Iconoclast. Morer. in Dictionar. hist.* Cur Imperatores Græci teste eodem Maymburgo adeò indignati sunt Carolo, ut hæc Leoni Armeno causa fuerit Catholicos totâ Græciâ persequendi, quod spem omnem Occidentis amisisset? Et denique, cur omnium historicorum Vox & sententia est, Imperium à Græcis ad Carolum anno DCCC. victis Longobardis translatum, si jam antè Imperio caruerant? Si verò Græci jus aliquod Imperiale in Occidente adhuc habebant, hoc dicimus in Carolum à Leone translatum, non bello quæsitum, quod cum amicis nullum erat, nec esse poterat, justitiâ integrâ. Quid enim in Carolum Græci offenderant, ut illos Imperio Occidentis exueret jam compositâ pace? Planè Maymburgus Carolum non Victorem, sed Usurpatorem alieni facit. Est enim notandum, victo Aldagiso Desiderij filio, qui cum classe Græcorum in Italiam transmiserat, anno DCCC. venisse Aquisgranum ab Irene ad Carolum Legatos, qui pacem offerrent, & animum præterarent ad nuptias cum Imperatrice jungendas: hæc enim cum thronum, extincto filio Constantino infedisset: duorum procerum Stauracij & Aërij potentiam verita, animum ad nuptias cum Carolo adjecerat. Missi hoc anno Legati & Amores cum Imperio promissi. Causa legationi prætexta, Sisinij fratris Tarasij Patriarchæ, nuper bello capti liberatio: Legati à Carolo benignè accepti, & omnia, quæ postulabant, concessâ. Contigit hæc Legatio biennium ante Caroli Imperium: nam auditâ Constantinopoli ejusdem coronatione missa alia est apparatus legatio ab Irene, thorum & thronum offerente. Meminerunt legationis primæ Annales Francici auctore Adelmo Benedictino ad eundem annum. Spondanus ibidem, & omnium clarissimè Maymburgus *lib. 4. hist. Iconoclast. Anno DCCC. fol. 70.* Qui auctor (ut hoc quoque ingenuè dicamus) sanctiùs utique veritati defendendæ, quàm impugnandæ calamum locâisset, antiquitate oppressâ; nec deerant alia contra hæreticos argumenta, quibus

bus ingenium & eloquentiam impenderet; sed maluit classicum discordijs canere, fatali nostrorum temporum malo, quibus ostentando ingenio antiquis nova præponimus; non quia meliora, sed quia recentia, & idè admirationi, & plausui conjuncta: quàm enim difficile, tam gloriosum creditur, contra omnes potiùs, quàm cum omnibus sapere: & ipsa tamen, quæ novitate placebant, fastidio erunt, cùm insenuerint, antiquis in gratiam receptis.

Hæc est ergo celebris illa Imperij ad Francos per Leonem III, facta translatio, quam nos temporibus suis distinctam dedimus, ut tantò vaderet clarior. Jam videamus, quomodo à Francis ad Germanos Saxones pervenerit.

XII. Anno DCCCXIV. Moritur Aquisgrani pleuritide Carolus Imperator, quem ut magnum efficerent, natura, religio, fortitudo, omnesque politice ac militares scientiæ, & fortuna certârunt; vix alium Principem reperias, quem huic exæques: uno tantum vitio notatus, quòd Gallicum florem alienis vagisque amoribus fœdavit: sed hanc quoque labem pœnitentiâ exterfit, lachrymis, jejunijs, eleemosynis, cilicinâ veste, inter quæ benevolentiam & vitam consumpsit, teste Thegano Chorepiscopo Trevirensi *de gestis Ludovici*: ut merito de Carolo dicas, quod olim S. Ambrosius de Davide: *Peccavit Carolus, quod solent Reges: sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent Reges.* De Carolo inter Sanctos recepto, vide Baron. *ad annum DCCCXIV.*

Scribit idem Theganus, vulgatâ Caroli morte, tantum fuisse ubique luctûs & lachrymarum, ut crederes communi Patre mundum orbatum esse. Carolo Ludovicus cognomento Pius successit. Inter alia præclarè à Carolo facta ejusque magnitudini patria, illud etiam refertur, voluisse ingenti fossâ per Franconiam in Mœnum ductâ, Rheno Danubium, & Oceano Pontum Euxinum conjungere, sed pluvias, bella, mortem ipsam intercessisse indignante velut naturâ suos limites moveri.

Anno DCCCXVII. Ludovicus Pius Imperator Caroli filius in comitijs Aquisgranum indictis confirmat omnia, quæ à Pipino avo, & Carolo patre, Ecclesiæ Romanæ donata fuerant, aut restituta, additis Romanâ civitate cum suo Ducatu, Exarchiâ Raven-nensi, Sardinia, Sicilia, Corsicâ insulis, Ducatu Beneventano,
Spo-

Spoletano, Neapoli, Calabriâ, &c. & præsertim liberâ Pontificis electione (a)

In eodem hoc Aquisgranensi conventu filium Lotharium Ludovicus coronat; nepotem verò conjurationis reum, convictumq; oculis privat.

Anno DCCCXXX. Nova in Ludovicum conspiratio à Pipino filio Rege Aquitania. Causa in Patrem armandi, quòd Bernardum Hispanum hominem custodiae & cubili præfecisset, Francis dolentibus externum præferri. Hinc nata, aut potiùs ab æmulis sparsa suspicio, Imperatrice Judithâ Bernardum frui. Sed Lotharius filius & collega Imperij cum exercitu adveniens patrem discrimini exemit. Juditha in Monasterium detrusa & velata. Aquitania Pipino adempta.

Anno DCCCXXXIII. Iterum armati in Ludovicum Augustum filij Pipinus, Lotharius, Ludovicus; & jam prælio congressuris, Gregorius IV. Papa intercessit, pugnamq; diremit. Gregorio in Italiam reverso, renatae lites & dissidia. Lugduni Conventus habitus, & Imperium Augusto ademptum: quod decretum à Pontifice maximo continuò rescissum, & Archiepiscopi Lugdunensis temeritas mulctata. *Æmilii rerum Francic. in Ludovico Pio.*

Anno DCCCXXXIV. Ludovicus dignitati & Imperio restitutus, filij in gratiam recepti, perduelles mitiùs, quàm meruerant, puniti.

Anno DCCCXXXVIII. Imperium à Ludovico inter filios diuisum Lotharium & Carolum Calvum: Ludovico filio indignante, Carolum natu minimum sibi in regnorum divisione præpositum: hinc nata bella. Ludovicus Augustus paullo post sanctissimè functus.

Anno DCCCXLI. Gallia civili bello affligitur, Lothario Imperatore, qui Ludovico Augusto successerat, Monarchiam exclusis fratribus meditante: signa inter fratres collata: Carolus & Ludovicus victores; Lothario pax data.

Anno DCCCXLII. Lotharius Imperator infestis signis in fratres movet: iterum vincitur: & in Conventu Aquisgranensi Re-

Cc

gno

(a) Vide c. ego Ludovicus dist. 63. & Sigonium l. 4. de Regno Italiae. Baronium ad hunc annum. Leon. Ostiens. lib. I. Chron. Cassin. c. 18. Ivon. p. 5. c. 14. Anastas. Bibliothecar. &c.

gno & Imperio eijcitur, duobus fratribus Ludovico & Carolo ab Episcoporum conventu suffectis: sed exactum ab iisdem juramentum de justâ Regnorum adinistracione. Verba Episcoporum à Nithardo Francorum nobilissimo & Caroli M. ex filia nepote *lib. 3.* hæc referuntur. *Et nos, inquit, auctoritate divinâ & illud suscipiatis, & secundum Dei Voluntatem regatis, monemus, hortamur, atque precipimus.*

Sed anno sequenti Carolus & Ludovicus victoriâ modestissimè usi, Lotharium fratrem in societatem Regni admittunt. Francia Carolo data, hoc est, quidquid Arari (vulgò Saona) Rhodano, Scalde, Mosa, Oceano, Pyrenæo saltu continetur. Ludovico Germania & Hungaria cessit. Reliquæ opes ac Imperium, & Lotharinga Lothario relicta. *Æmilii initio vite Caroli Calvi.*

Anno DCCCXLV. Dani seu Northmanni Gallias populantur, DEO per Gentiles rapinas bonorum Ecclesiasticorum vindicante. Spondanus *ad hunc annum.* Vide Lupi Ferrariensis *epist. 42.* Ubi animadvertit, Carolo Francorum Regi nihil prosperi, ex quo manus in bona Ecclesiastica conjecerat, evenisse. Godefridus Northmannorum Dux in societatem regni à Carolo receptus, & pars Franciæ, quam Northmandiam vocant, data.

Anno DCCCLV. Lotharius Augustus, Imperij & Mundi factus in Monasterium se abdit, & Religionem proficitur: succedit Ludovicus II. Lotharij filius.

Anno DCCCLX. Pax inter Francorum Reges Carolum calvum, Ludovicum fratres, & nepotem Lotharium composita: sed paullo pòst à Carolo abrupta; hinc à Ludovico & Lothario querelæ ad Nicolaum delatæ, petitum quæ, ut Caroli ambitionem compesceret; inter alia: *Oporteret præterea vestra auctoritatis jubar propter generalem sollicitudinem nostros invisere fines, ut quos nulla pacis fœdera, nulla movent fraterna charitatis visera, nulla neclunt consanguinitatis ligamenta, Apostolica investio ad censuram ecclesiasticam venire compellat: & quidem sanctissimi prædecessores vestri per suam præsentiam, ac pium laborem plurima correxerunt, immo per legatos ac litteras abentes corpore, sed spiritu sancto præsentem innumera, qua in abruptum lapsa fuerant, revolarunt. De cetero, si aliquis Regum, quod absit, vel fortè aliqua contumax persona vestra Beatitudinis admonitionem parvipendere præsumperit, latere non poterit. (a)*

(a) Vide totam epistolam apud Baron. Anno DCCCLX. n. 27.

Anno DCCCLXII. Lotharij Francorum Regis amores extra thorum progressi, & Episcoporum turpiter adulantium conniventia Galliam, vix non perdunt. Amabat jam à puero Waldradam virginem, quâ ut potiretur, Theutperga legitima conjux abdicata: additæ insuper criminationes, quæ repudium excusarent, & colorem inducerent: & quod mireris, binis Episcoporum conventibus Aquisgranensi & Metensi repudium admissum: dicebant Theutpergam Lothario jam legitimis nuptijs cum Waldrada implicito adjunctam esse, non ergo uxorem ejectam, sed pellicem; addebant incestus cum fratre compertam. Colonienfis & Trevirenfis Archiepiscopi præcipuam defendendo Regi perditè amanti operam locârunt: Nicolaus Papa I. re intellecta & conventuum acta rescindere, & Archiepiscopos communionem fidelium excludere, damnatis cum Waldrada nuptijs. Archiepiscopi Pontificem frustra placare conati Photio Schismatico Patriarchæ se jungunt. Pontifex censuris in mœchum fulminat, & jacturam Regni Lothario minatur. Spondanus *ad annum 866.*

Anno DCCCLXVIII. Mortuo Nicolao Hadrianus II. succedit. Lotharius cum regio comitatu Romam profectus in urbem admittitur; accessuro ad aram sacrumque Epulum; *Cave, inquit Pontifex, hoc corpus DEI, sanguinem attingas impudico adhuc animo; si pellicem ejurasti, hic veniam tibi & pacem offero: si retines, venenum tibi pro remedio sumes: & ad Aulicos conversus: si domino, inquit, & Regi tuo Lothario in adulterij crimine favorem non prestuisti, neque consensum tribuisti, & Waldrada aliusve ab hac sede Apostolica excommunicatus non communicasti, Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi profit tibi in vitam æternam.*

Lotharius comitesque nihil hâc voce territi accedunt intrepidè, immo petulanter: eodemque anno è vivis sublatis pœnas contemptæ religionis dederunt. Aimoinus *lib. 5. c. 21.* Lothario mortuo ejusdem Regnum Carolo calvo à proceribus delatum, excluso Ludovico Imperatore defuncti fratre, & successore legitimo. Id ubi Hadriano innotuit, missis continuè legatis jubet Carolum alieno Regno abstinere, ni faciat, graviter puniendus. Verba Pontificis ad Regem, Regnique Episcopos hæc sunt, apud Aimoinum *lib. 5. c. 24.* Regnum quondam Lotharij, quod Ludovico Imperatori Spirituali filio ejus hereditario jure debebatur, & quod ad eum post mortem ipsius Lotharij rediji, mortalium nullus invadat, nullus commoveat, nullus ad se conetur

inspectere: quòd si quis præsumat, non solum per nostræ auctoritatis ministerium infirmabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis privatus, cum Diabolo omnino locabitur: & si quis de Episcopis tam nefaria temeritatis auctorem vel tacendo fugiet, vel non resistendo consentiet, non jam pastoris, sed mercenarij nomine se notu fore censendum. (a)

Anno DCCCLXXVI. Carolo Calvo à Joanne VIII. Pontifice Maximo Imperium collatum excluso Ludovico majore natu: quòd à Carolo contra Saracenos auxilium speraretur: confirmata hæc Imperij collatio à Prælati Franciæ in Synodo Pontigonensi. Aimoinus l. 5. c. 33. Mortuus Ludovicus Germaniæ Rex liberum Carolo fratri Imperium relinquit.

Anno DCCCLXXVII. Carolus veneno extinguitur, & Imperium Ludovico Balbo filio relinquit.

Anno DCCCLXXIX. Moritur Ludovicus Balbus: & Anno DCCCLXXXI. Carolus Crassus Calvi frater Italiam vi occupat, & à Joanne VIII. Augustus creatur. Aimoinus lib. 5. c. 60. Ludovicus Balbus tres filios reliquit Ludovicum, Carlomannum, & Carolum Simplicem. Carlomanno Regi successit Ludovicus filius cognomento Ignavus.

Anno DCCCLXXXVIII. Decedit Carolus Crassus à suis Regno dejectus; & Arnulpho Carlomanni filio successo, Imperium Francicum miserè in factiones scinditur & conflictatur. In Italia Berengarius Dux Forojulienensis Rex acclamatur. Guido Lamberti Ducis Spoletani filius Imperium, in Gallijs Odo Comes Parisiensis, & Rudolphus Conradi filius regnum usurpant: solus Regiæ stirpis Carolus simplex legitimus Regni hæres supererat; sed puer, & tot Tyrannis impar. Huc Imperium à morte Caroli M. evaserat ambitione & discordijs scissum.

Anno DCCCXCII. Wido Dux Spoletanus Imperator à Formoso Pontifice, qui Stephano successerat, renuntiatur, Berengario, & Arnulpho indignantibus.

Anno DCCCXCVI. Arnulphus Rex Germaniæ Romam capit, in eos, qui Pontificem afflixerant, animadvertit, & ab eodem coronationem & Imperium extorquet, cum prius Widonem ejusque filium Lambertum Imperatores dixisset.

Ann^o

(a) V. etiam cap. 26. apud eundem Auctorem. Baron. ad Annum DCCCLXX.

Anno DCCCXCVIII. Carolus simplex Ludovici Balbi filius legitimus Francorum Rex fœdus cum Northmannis ethnicis parat, eorum armis contra Odonem usurus Franciæ Tyrannum; sed Fulco Archiepiscopus Rhemensis re intellectâ Carolum ab incœptis revocat, minatus, nisi impio fœdere abistat: *Se nunquam ei fidelem extiturum, sed & quoscunq; posset, ab ejus fidelitate revocaturum, & cum omnibus cœpiscopis suis ipsum Regem ejusq; sequaces excommunicaturum, atq; aeterno anathemate damnaturum.* Verba sunt Fulconis apud Floardum lib. 4. cap. 5. Paruit Carolus bene monenti, & Deus in præmium auditi sacerdotis, Odonem Regni æmulum è medio sustulit.

Anno DCCCXCIX. Arnulphus & Wido Imperatores morte sublati.

Annus DCCCC. Ob Principum factiones intrusosque, ut quisque prævalebat, Pontifices, Ecclesiæ fatalis fuit.

Anno DCCCCVI. Coacta Romæ Synodus, in qua à Joanne IX. Pontifice examinatis duorum Regum Berengarij videlicet & Lamberti Widonis filij juribus, ex omnium Patrum sententia Lambertus Berengario, quòd vi coronationem extorsisset, præferatur. (a)

Anno CMVIII. Romæ corrupti mores peccandi que libertas edè devenerant, ut meretrici omnia parerent; Maroziam vocabant: fœminam opibus, familiâ, clientelis, & præferrim vultu formâque præpotentem; ex cujus arbitrio nutuque Pontifices alij submoti, alij evecti, ut plus gratiæ apud fœminam habebant, Româ, quis crederet? meretrici obsequente.

Anno DCCCCXII. Moritur Ludovicus Germaniæ Rex, & filius Arnulphi Imperatoris: in quo Reges Germani familiæ Carolinæ defecerunt; Ludovicus enim duas tantum filias reliquit Placidiam & Mathildam: Placidia Carolo I. Franciæ, Mathilda Henrico Aucupi Saxoniam Ducibus junctæ. Jure legitimæ successione Regnum Germaniæ ad Carolum simplicem Franciæ Regem spectabat, utpote ex familia Carolina natum: sed magnates Germani, Carolo ob ignaviam contempto, Ottonem Saxoniam Ducem ad Regnum, vacuamque coronam vocant & hoc Principatum re-

(a) Luitprandus lib. 1. cap. 10. Spondanus ad hunc Annum.

cusante Conrado deferunt. Otto Frising. *lib. 6. c. 16.* Moretus in *vita Conradi I.* Spondanus *ad hunc annum.*

Notat Joannes Tilius in *Chronico Regum Francorum: Tot dissidia, rerumq; fluctus in Gallia extitisse à Carolo Calvo ad mortem Caroli simplicis, ut vix certo sciri possit, quis potissimum regnârit.*

Anno DCCCCXV. Joannes X. Berengarium Forojulensium Ducem, postea Italiae Regem ob bellum Saracenis illatum Imperatorem ungit. Sigon. *de Regno Ital. lib. 6.*

Anno DCCCCXIX. Moritur Conradus Germaniae Rex, & Henricum Aucupem Saxoniae Ducem Ottonis filium Regni successorem habet. Henricus cum velatam viduam duxisset, ab Episcopis citatus, facti poenitens Romam pedes proficiscitur, & viduam dimittit illustri poenitentiae exemplo.

Anno DCCCCXXIV. Berengarius Imperator, quod Hunnos, & Hungaros in Italiam evocasset, odio Rudolphi Francorum Regis, à suis occiditur.

Anno DCCCCXXVI. Hugo Comes Provinciae vel Arelatensium eligitur Italiae Rex.

Anno DCCCCXXIX. Moritur Carolus Simplex relicto filio Ludovico.

Anno DCCCCXXXVI. Moritur Henricus, & Regnum Germaniae Ottoni filio relinquit. In Gallia mortuo Rudolpho Rege inungitur Ludovicus transmarinus, qui in Anglia metu Tyrannorum educabatur, Caroli Simplicis filius.

Anno DCCCCXXXVII. In comitijs generalibus Aquisgranum indictis, Otto Magnus Henrici Aucupis filius Rex Germaniae pronuntiatur, & ab Archiepiscopo Moguntino ungitur.

Anno DCCCCL. Lotharius ultimus Francorum in Italia Rex veneno perit, eamque Berengarius invadit. Adelais Lotharii conjux, & Agapetus II. Papa Ottonem Germaniae Regem & victorij florentem contra Berengarii Tyrannidem in Italiam vocant. Leo Ostiens. *lib. 1. cap. 64.* Otto Italiam ingressus Berengarium filiumque vincit, & in fugam vertit; Adelaidem Lotharii Conjugem ducit. Flodoardus in *Chron. ad annum DCCCCL.* Observa, Ottonem omnes ferme provincias, quas olim Carolus possederat, vindicasse, suoque Regno adjecisse.

Anno

Anno DCCCCLX. Cùm Berengarius Italiam miserè vastaret, Joannes XII. Ottonem implorat contra Hunnos bellantem, eique Imperium & Urbem offert, si à Berengario ablata restituat Romanæ Sedi, eique juramento se addicat. *Exstat juramentum Ottonis in c. Tibi Domino 33. dist. 63.* Otto Berengarium iterum fundit, Romam invehitur, & Imperator acclamatur: à Joanne XII. inungitur, & omnes Pipini & Caroli M. donationes confirmat: Magnus & ipse ob res pace & bello præclarè gestas appellatus. (a)

Anno DCCCCLXIII. Gravissimæ inter Pontificem & Ottonem Imperatorem natæ similitates. Causa dissidij, quòd hostibus Pontificis favere, & ablata Ecclesiæ restituere nolle Otto diceretur. Ergo Pontifex Adalberto Berengarij filio adharere, contempto jurejurando, quo se Ottoni adstrinxerat. Imperator missis Legatis innocentiam suam purgat, sed implacato Pontifice, Romam cum exercitu advolat, Romanos in potestatem recipit, eosque juramento adigit, nunquam alium Pontificem electuros, quàm quem Otto filijque vellent: Concilium dein coactum, ubi Joannes XII. in ordinem redactus, & Leo suffectus est. (b) Hic est ille Leo VIII. cujus meminit Gratianus. *in c. Synodo dist. 63.* Cùm Romani Joannem revocassent, illoque extincto Benedictum V. suffecissent, Roma ab Ottone iterum capta, Romani ad satietatem cæsi, Benedictus exilio deportatus, & Leone vivis exempto, ejusdem Ottonis jussu Joannes XIII. electus.

Anno DCCCCLXVII. Firmata inter Pontificem & Ottonem Imperatorem amicitia, ejusque filius Otto II. ab eodem Joanne Pontifice Augustus coronatus. Obijt Otto Magnus Anno DCCCCLXIII. & Imperium Ottoni filio reliquit.

Sic Imperiũ Rom. à Francis Carolinæ stirpis, ad Francos Saxonicæ Donũs & familiæ transijt. Primus Imperator Otto Magnus, non Henricus I. cognomento Auceps, renuntiatus est: nam teste Witicindo *l. 1. gest. Saxonie.* Cùm Henrico offerretur unctio, & Diadema à summo Pontifice, non sprexit, nec tamen suscepit: *Satis, inquit, mihi est, ut præ meis Majoribus Rex dicar, & designer divinã agente gratiã & vestrã pietate: penes meliores verò nobis unctio & diadema sit, tanto honore nos indignos arbitramur.*

Abbas

(a) Vide Baron. ad annum DCCCCLXII.

(b) Vide Baron. ad annum DCCCCLXIV.

Abbas Urspergensis in Chronico Anno DCCCCXX. Henricus, inquit, renuit diadema & unctiōnem, solo nomine Regis contentus. Albertus Kranz. lib. 3. Saxon. c. 8. Henrico diadema cum consecratione ad imperialem dignitatem Joannes repromisit: Henricus autem satis sibi videri respondit, quod primus ad Regni culmen pervenisset, diadema Imperij majoribus debitum. (a) Ubi plurimorum testimonijs clarè ostendit, fuisse hanc translationem Imperij factam auctoritate summi Pontificis.

Ceterum in toto hujus secundæ translationis contextu, multa iterum exempla occurrunt à summis Pontificibus in Reges exercitiæ potestatis. Nam Concilij Compendiensis & procerum Franciæ decretum, quo Ludovico Pio Imperium abrogabatur filijs tradendum, Gregorius IV. rescindit, & Augustum loco restituit. Lotharius Imperator in Conventu Aquisgranensi ab Episcopis Regno & Imperio dejicitur. Nicolaus I. Lothario, nisi abdicata pellice, Theutpergam uxorem recipiat, Regni jacturam minatur. Hadrianus II. jubet Carolum Calvum Regnum, quod invaserat, Ludovico Imperatori legitimo hæredi restituere, nec obtemperanti pœnas indicit. Joannes VIII. Carolo Calvo, excluso fratre natu majore, Imperium confert, & hanc collationem Episcopi Galli in synodo Pontigonensi ratam habent. Plura omitimus, suoque loco reservamus.

XIII. Accedamus jam ad ipsam Decretalem recitandam, cujus scribendæ hæc occasio fuit. Mortuo Henrico V. Imperatore, quem Cælestinus III. excommunicaverat, Philippus Henrici frater & Sueviæ Dux pluribus Principum suffragijs electus fuerat, & Moguntia unctus coronatusque, acceptâ tamen prius, & secretò excommunicationis absolutione per Legatos Apostolicos, quâ tenebatur ob invasum Ecclesiæ patrimonium. Sed alia minorque Principum pars Ottoni Saxoniam Duci in conventu Aquisgrani habito Imperium ac coronam defert. Legatus Sedis Apostolicæ, ut factiones componeret, Ottonem legitimum Imperatorem dicit, & Henricum abdicat. Re ad Innocentium III. delatâ & ipse pro Ottone præsentem Decretalem dedit. V. Raynaldum *ad annum MCC. n. 22.*

INNO-

(a) Vide Bellarm. de translatione Imperij l. 2. c. 2. & c. 3.

INNOCENTIVS III.
DUCI CARINTHIÆ.

Venerabilem fratrem nostrum Salisburgensem Archiepiscopum, & dilectum filium Abbatem De Salem, & nobilem virum Marchionem Orientalem, quorundam Principum nuntios ad Sedem Apostolicam destinatos benignè recepimus, & eis benevolam duximus audientiam indulgentiam &c. Nos qui secundum Apostolicæ servitutis officium sumus singulis in iustitia debitores, sicut iustitiam nostram nolumus ab alijs usurpari, sic jus Principum nolumus nobis vendicare. Unde illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodum promovendum, recognoscimus, ad quos de jure ac antiqua consuetudine noscitur pertinere, præsertim cum ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolicâ Sede pervenerit, quæ Romanum Imperium in personam magnifici Caroli à Grecis transtulit in Germanos. Sed & Principes recognoscere debent, & utique recognoscunt, sicut iidem in nostra recognovère præsentia: quod jus & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promovendam ad Imperium ad nos spectat, qui eum inungimus, consecramus, & coronamus, &c. Nunquid enim si Principes non solum in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcunque, vel excommunicatum in Regem tyrannum vel fatuum, hereticum eligerent, aut Pazanum, nos inungere, consecrare & coronare hominem hujusmodi deberemus? Absit omnino. Objectioni ergo Principum respondentes, asserimus, quod Legatus noster approbando Regem, & reprobando Ducem nec Electoris gessit personam, nec cognitoris, sed denunciatoris officium, quia personam Ducis ejusdem indignam, & personam Regis denunciavit idoneam, quoad Imperium obtinendum,

non tam propter studia eligentium, quàm propter merita electo-
rum, quamvis plures ex illis, qui eligendi Regem, Imperatorem
promovendum de jure & consuetudine obtinent potestatem, con-
sensisse perhibeantur in ipsum Regem, & ex eo quòd fautores Du-
cis absentibus alijs, & contemptis ipsum eligere præsumpserunt,
pateat eos perperam processisse, unde privilegium meruerant
amittere, qui permissâ sibi abusi sunt potestate, &c. Nos utique
non Ducem, sed reliquum reputamus & nominamus Regem, Ju-
stitiâ exigente. Quòd autem, cum in electione vota Principum
dividuntur, post admonitionem, & expectationem alteri partium
favere possimus, maximè postquam à nobis unctio consecratio, &
coronatio postulantur: jure patet pariter & exemplo. Nunquid
enim si Principes admoniti & expectati vel non potuerunt, vel
noluerunt in unum propositum convenire, Sedes Apostolica Ad-
vocato & Defensore carebit? eorumq; culpa ipsi redundabit in
pœnam &c. &c. Nobilitatem ergo tuam monentes per Apostolica
scripta mandamus, quatenus à præfato Duce recedas omnino,
non obstante juramento, si quod ei ratione Regni fecisti, cum (eo
quantùm ad obtinendum Imperium reprobato) juramentum hu-
jusmodi non debeat observari.

Observa circa præsentem Decretalem, ipsos etiam Principes
Electores agnovisse & falsos esse, quòd Jus & auctoritas examinan-
di personam electam in Regem, eamque ad Imperium promo-
vendi, ad Pontificem spectet, ut patet ex illis verbis: *Sed & Prin-
cipes recognoscere debent, & utiq; recognoscunt, sicut iidem in nostra recognoverunt
præsentia &c.* Neque hoc Pontifex unquam diceret, multoq; mi-
nùs scriberet, nisi compertum, & planè certum; alioquin facilè,
claroq; sole falsi convincendus. Deinde in eadem Decretali in-
sinuat Innocentius rationem, ob quam Regna & Imperia indirectè
& casualiter subjaceant pontificum auctoritati, ubi dicit: *Nunquid
enim si Principes vel non potuerunt, vel noluerunt in unum propositum conveni-
re, Sedes Apostolica Advocato & Defensore carebit, eorumq; culpa ipsi redunda-
bit in pœnam?*



§. VI.

Quartus textus Canonicus ex Clementina unica, de Jurejurando.

S U M M A R I A.

1. Quo tempore Collegium Electorale, & à quo institutum.
2. Negari non potest à Summis Pontificibus id factum.
3. Probatur auctoritate Concilij Viennensis.
4. Refutatur Ludovicus Maymburgus.

I.



Uo tempore Jus eligendi Romanum Imperatorem ad Principes Germaniæ pervenerit, incertum est. Aventinus lib. 5. *Annal.* & Onuphrius Panvinus lib. de *Comitijs.* Volunt Collegium Electorale à Friderico II. institutum, & à Gregorio X. confirmatum. Obijt Fridericus II. mccc. Gregorius vero Anno mcccxxvi. Onuphrius credit, Jus eligendi ad Septemviros restrictum in Concilio Lugdunensi, quod Anno mcccxxiv. auctoritate Gregorij X. convocatum est. Alij Gregorio V. attribuunt, natione Germano, Nepoti Ottonis III. qui Anno dccccic. decessit. Hanc opinionem Bellarminus, & sæpe laudatus Morerus in suo dictionario historico, ubi agit de Gregorio V. tuentur. Eamque multæ probant magnæque rationes. *Primo:* Quòd Sigebertus ad Annum mii. scribat, Ottonem III. inter alia cum Papa Gregorio V. de ijs quæ ad Imperij Jura spectant egisse. *Secundo:* Quòd Otto I. aliq̄ue deinceps usque ad Ottonem III. privilegio Leonis VIII. quod habetur *c. in synodo dist. 63.* Successorem elegerint, idque propagatum, ut diximus, usque ad Ottonem III. post quem jus eligendi penès Germaniæ Principes fuit; oportet ergo hoc tempore mutationem aliquam circa Electores factam esse, alioquin Imperatores eo privilegio tam magno, tamq̄;

utili successores nominandi nunquam abstinuissent. *Tertio*: Quod Otto III. liberis & spe liberorum carens, ne post ejus mortem causa electionis discordia Germaniam agitent, vicino maxime & vigilante ad omnia Gallo, cum Pontifice sic convenerit.

Illud saltem vero propius est, numerum septem Electorum non à Gregorio V. fuisse institutum, sed ab Innocentio IV. in primo Concilio Generali Lugdunensi Anno MCCXLV. Ubi observata in numero Electorum Ecclesiasticorum tertium poni Archiepiscopum Salisburgensem, uti habetur in Actis Concilij Lugdunensis à Severino Binio editis Tomo III. Conciliorum p. 2. fol. 167. edit. Colon. Ubi hoc ordine Electores ponuntur.

Electores Imperatorum Laici

Dux Austriæ.
Dux Bavariæ.
Dux Saxonum.
Dux Brabantia.

Prælati

Archiepiscopus Coloniensis.
Archiepiscopus Mogunt.
Salisburgensis.

Isti, ducentur in Insulam quandam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amovebuntur omnes nāvicula, & hi tractabunt de electione Imperatoris: nec adveniet aliquis ad eos, donec sint concordēs. Huic negotio præerit Archiepiscopus Coloniensis, secundus Moguntinus, tertius Salisburgensis. Hæc inter acta Concilij Lugdunensis. Vide etiam Baronium Ad annum DCCCCXCVI. num 64. Et Matthæum Parisiensem Monachum S. Albani in Anglia, qui historiam suam perduxit usque ad Annum MCCCLIX. adeoq; vixit tempore, quo Concilium primum Lugdunense celebratum est. (a)

II. Sed quidquid de tempore & Pontifice in individuo sit, qui jus eligendi ad septem Germaniæ Principes transtulit, certum est, ab aliquo Summorum Pontificum translatum esse; præter enim Scriptores, quorum plurimos videre est apud Bellarminum lib. 3. c. 3. de transl. Imperij. docent ipsi Lutherani Centuriatores: quorum tamen

tamen primæ, potissimaque & innata velut partes sunt, quidquid Ecclesiæ Romanæ decorum & gloriosum est, pertinaciter negare.

Sic ergo Centuriatores loquuntur Centuria 10. c. 10. Gregorius suam patriam (Germaniam) insigni aliqua dignitate ornaturus sanxit, ut penes solos Germanos esset jus eligendi Regem, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum Imperator & Augustus appellaretur. Et Centuria 10. c. 16. Paulo enim postquam redierat (Gregorius Papa) eam fecit de Imperatoris Electione sanctionem, quam hucusq; super annos quadringentos servatam videmus, solis licere Germanis, qui inde Electores dicti sunt, Principem deligere. Et infra: Annum, in quo hæc sanctio à Pontifice Gregorio facta est, secundum supra millesimum Christiana salutis fuisse invenimus.

Sanctus Thomas, cui & sanctitas & doctrina cœlitus infusa voluntatem errandi, & facultatem ademit, in tract. de regimine Principum, quem Regi Cypri dedicavit lib. 3. c. 9. Ex tunc (hoc est post Otto-nes) ut historia tradunt, per Gregorium V. genere similiter Theutonicum provisâ est electio, ut videlicet per septem Principes Alemanniæ fiat: quæ usque ad ista tempora perseverat, & tantum durabit, quantum Romana Ecclesiæ, quæ supremum gradum in Principatu tenet, Christi fidelibus expediens judicaverit, in quo casu, ut ex verbis Domini supra inductis est manifestum, videlicet pro bono statu uni-versalis Ecclesiæ videtur Vicarius Christi habere plenitudinem potestatis.

Fatentur ipsi Principes Electores, quorum maximè res agitur, ut videre est in litteris Marchionis Brandenburgici, Ducis Saxonix, & Comitis Palatini apud Baronium Anno DCCCCXCVI. n. 44. Et denique Alberti Imperatoris, qui in litteris ad Bonifacium VIII. An. MCCCIII. Regni sui quinto, decimo sexto calendas Augusti hæc habet. Prosterior, Beatissime Pater, me bonorum omnium largitori, ac Vobis & sanctæ Ecclesiæ Tuæ fore pro innumeris misericordijs & inmensis beneficijs obligatum, &c. & infra: Recognoscens igitur, quod Romanum Imperium per Sedem apostolicam de Græcis translatum est, in personam Magnifici Caroli in Germanos, & quod jus eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem postea promovendum, certis Principibus Ecclesiasticis & secularibus est ab eadem sede concessum, à qua Reges & Imperatores, qui fuerunt & erunt, pro tempore recipiunt temporalis gladij potestatem ad vindictam malefactorum, &c.

Et ipse summus Pontifex Innocentius III. in Decretali venerabilem, de electione: Unde, inquit, illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodum promovendum, recognoscimus, ut debemus, præsertim cum ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolica Sede pervenerit.

In publico etiam instrumento ad Nicolaum III. Pontificem maximum anno MCCLXXIX. indictione 7. Rudolphi Imperat. Anno VI. iidem Principes sic loquuntur: *Nos Principes Imperij universis presentem paginam inspecturis. Complectens ab olim Romana Mater Ecclesia quãdam quasi germanã charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomen temporaliter presidentium super terram: plantans in ea Principes tamquam arbores praelectas, illud eis dedit incrementum mirandæ potentia, ut ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti per ipsorum electionem illum, qui frena Romani teneret Imperij, germinarent, &c.* Vide integrum hoc instrumentum apud Bellarminum *de translatione Imperij l. 3. c. 3.* Videndus etiam Serarius *lib. 1. Rerum Mogunt. c. 26.* & Gretzerus *in defensione Bellarmini c. 28.*

Ludovicus etiam Morerus in recentissimo Dictionario historico, quod Ludovico XIV. Gallorum Regi dedicavit tomo II. & Spondanus Episcopus Gallus ad annum DCCCXCVI. idem affirmant.

Ipse Ludovicus Maymburgus loco paullo post citando illa, quæ citavimus, Electorum, Imperatorum, ac Innocentij III. testimonia & monumenta dicit esse fide digna, authentica, revocatque ad veritates omni exceptione majores, quantumvis ipse in alium sensum, ut infra dicemus, interpretetur.

III. Et denique si alia omnia desint, superat omnem exceptionem testimonium Concilij universalis Viennæ in Gallijs celebrati anno MCCCXI. presentibus Gallia, Angliæ, & Aragoniæ Regibus, Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, Episcopis centum quatuordecim, vel ut alij, trecentis, præter Abbates & Doctores, & præside ipso Clemente V. natione Gallo, ipsisque Gallis addictissimo, ut præter alia patuit ex Sede Pontificali Avenionem translata, Christiano orbe & Italiã præsertim indignante.

Causa scribendæ hujus Clementinæ hæc fuit. Occiso per insidias Alberto Casare Austriaco, Clementis V. Pontificis maximi favore & consilio electus à Principibus Germaniæ fuerat Anno MCCCII. Henricus VII. Dux Lucemburgensis. Is Ducem Bavariæ & Comitem Namurcensem Legatos ad Clementem mittit, qui nomine electi obedientiam & juramentum præstent, petantque confirmationem. Legati humaniter excepti, & quæ petebant concessa. Rogatus etiam Imperator, ut in Italiam Pontifici rebellem,
& fa

& factionibus Gibellinorum vexatam armatus concederet. Venit Romam Henricus, & majorum ritu ac more defendendæ Romanæ Ecclesiæ juramento se obstrinxit. Postea cum simultatibus exortis, & civili bello Italiâ conflagrante, Pontifex pacem imperaret, moneretque Henricum præstiti sacramenti; hic bellum profequitur, negatque juramentum, quo Ecclesiæ se obligaverat, fidelitatis esse: adeo verum est illud Senecæ: *Nihil charius haberi beneficio, quamdiu petimus; nihil vitius, cum accepimus.* Moritur paulo post Henricus, aut veneno, aut febris extinctus. Hæc ergo causa fuit scribendæ Clementinæ, cujus verba nunc audiamus.

Clemens V. in Concilio Viennensi: *Romani Principes orthodoxæ fidei Professores, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cujus caput Christus Redemptor noster, ac Romanum Pontificem ejusdem Redemptoris Vicarium, ser-vore fidei venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbationem personæ ad Imperialis Celsitudinis apicem assumenda, nec non unctionem, consecrationem, & Imperij coronam accipiunt, sua submittere capita non reputabant indignum, seque illi, & eidem Ecclesiæ, quæ à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & à qua ad certos eorum Principes jus & potestas eligendi Regem, in Imperatorem postmodum promovendum, pervenit, adstringere vinculo juramenti, prout tan-tos observationis antiquæ temporibus novissimis renovata, quam forma juramenti hujusmodi sacris inserta Canonibus manifestârit, &c.*

Nota circa hanc Clementinam, Concilium hoc Viennense iterum testari, Imperium à Græcis in Germanos auctoritate Sedis Apostolicæ translatum esse, ab eadem jus Electorale constitutum: antiquissimo more electos Imperatores Pontifici Romano se juramento adstrinxisse: Reges & Imperatores Romanæ Sedis advocatos & defensores esse: Juramenta Sedi Apostolicæ à Principibus præstari solita, esse vera juramenta fidelitatis; cujus obligatio qualis & quanta sit, quasque partes complectatur, videre est in epist. ad Ducem Aquitanix Fulberti Episcopi Carnotensis doctrinâ & sanctitate celeberrimi: habetur ejus fragmentum in *l. de forma. causa. 22. q. 5.* Quæ omnia nostram sententiam valde confirmant, cum non à solo Pontifice Romano, sed à Concilio universali fuerint declarata, & ab Episcopis Gallicanis non tantum non impugnata, sed positivè confirmata, & sanctè habita, ut proinde non doctrina tantum Clementis V. aut Concilij censenda sit, sed Ecclesiæ totius Gallicanæ.

IV. Circa Collegij Electoralis & Septemvralis originem non omisit more suo Ludovicus Maymburgus ea dicere, quæ Pontificis auctoritatem hac in re minuant, obscurentque: *In historia de la decadenze de l'empire lib. 2. anno DCCCCXCVI. prope initium.*

Primò: Rem, dicit, esse in tota historia obscurissimam, cognituq; omnino difficilem, & quam multi de hoc argumento scriptis libris evolvere sine conati, semper irritò eventu nullòq; opera pretio, nisi quòd multi etiam Catholici animos partium studijs & affectibus præventos, non veritatem ostenderint; se verò, uti speret, principia aliqua collocaturum, ex quibus facile sit veritatem ipsam intelligere.

Secundò: Certum esse, dominante stirpe & familiâ Carolinâ jure legitima successione Regnum Germania deferri, vel potius transmitti ad proximos agnatos consuevisse: hancq; fuisse legem Francis fundamentalem: donec eâ familiâ extinctâ Reges eligi cœperint. Sic Conradum I. Henricum Aucupem, ejusq; filium Ottonem magnum à Principibus tum Ecclesiasticis tum secularibus, urbiumq; deputatis electos esse.

Tertiò: Imperio in Ottonem I. & Alemannos translato, durasse adhuc jus electionis, nec Imperatores aliter, quàm per electionem provectos esse usque ad Fridericum II.

Quartò: Quoad ipsos Electores sæpe variatum esse admissò aliquamdiu ad suffragia etiam populo ejusq; deputatis; immò principibus urbibusq; Italia, ipsòq; per suos Legatos Pontifice: quia tunc Italia Regnum pars Imperij Germanici censebatur: sic Henricum IV. Lotharium II. Fridericum I. promotos esse.

Quintò: Cum penès Principes Officiales, Ministrosq; Imperij major potestas, & auctoritas staret, mutato electionis ordine ad hos suffragandi jus devenisse, alijs Principibus, civitatibus, deputatis Imperatorem aliquem præsentantibus tantum, qui tamen, si primi dissiderent, ipsi Augustum pronuntiabant, hoc apparere ex c. 34. de electione, quod est Innocentij III.

Sextò: Post electionem Conradi III. Solos Principes vasallos, & Beneficiarios Imperij tam Ecclesiasticos, quàm seculares fuisse ad eligendum admissos: & post electionem Friderici I. Solos Germanos, ut apparet ex celebri illa Decretali ab Innocentio III. ad Ducem Zaringhia: post electionem verò Friderici II. in quam pleriq; Germani Principes convenerant, istorum consensu & voluntate potestatem eligendi Principibus Septemviris delatam esse, alijs omnibus suffragio exclusis, idq; asseri ab Alberto abbate Stadeni, & Martino Polono, Friderico II. coevis; ex quibus apparet, Collegium Electorale intra annum millesimum ducentiesimum decimum, & millesimum ducentiesimum quadragesimum institutum.

institutum, primumq; fuisse *Wilhelmum Hollandia Comitem*, qui à *Septemviris electus sit*, *Friderico II. in Concilio Lugdunensi censuris & anathemate percusso*. Hunc deinde *Septemviratum in aurea bulla à Carolo IV. adversus omnem mutationem confirmatum esse*.

Ultimò denique: *Certissimam & omni exceptione majorem veritatem esse, jus eligendi Imperatorem à Sede Apostolica ad Principes Germania provenisse; idq; Innocentium III. Concilium Viennense, Electores ipsos, & denique Imperatorem Albertum testatum facere, ut apparet ex monumentis authenticis fide dignis, quaq; in dubium revocari haud possint, nisi fundamentis fidei historiaq; humana convulsis.*

Ex his principijs, quæ loco citato *Maymburgus* posuit, hoc deducit. In electione, ipsoque Imperatore duo distingui oportere. Primum, quòd sit *Caput, supremusque Princeps, & Monarcha Germanici Imperij*, à quo Principes alij dependeant. Secundum, quòd electus solus, exclusisque alijs omnibus unice jus habeat coronam à Pontifice postulandi. Illud primum quod spectat, nec Electores, nec Imperatores à Pontifice Romano quidquam accepisse; cum jure naturali divinoque, ut in alijs Regnis electivis, sic & in Germanico Imperio possint Optimates sibi Caput & Principem deligere. Secundum verò, hoc est, coronationem à Pontifice Romano fluxisse quidem, esse tamen ritum haud necessarium, & sine qua Imperatori tota Majestas constet.

Tandem *Maymburgus* cum *Baronio* concreditur, *Eumq; quòd Collegij Electoralis Innocentium IV. auctorem faciat, misere deceptum à suis amanuensibus dicit; cum fabulas quasdam Matthei Parisiensis Angli pro actis Concilij Lugdunensis amplexus est, suisq; annalibus pro gemma vitrum intexuit: se verò in eam sententiam ire, ut jus eligendi Germanis concessum, à Leone VIII. proveniret, ut colligere est ex ejusdem Leonis Decreto, quod habemus c. in synodo, dist. 63.*

Hactenus fideliter *Maymburgi* sententiam expressimus, quam ille citato libro & Gallico idiomate in publicum exposuit; cui figillatim refutandæ non immoramur, cum multa dicat, veritati consentanea; alia verò, quæ ad nostrum institutum non faciunt, libenter prætergredimur, temporis parci; & veritatis, non pugna avidi. Demus ergo omnia, quæ ponit, sed illud præsertim, quòd *Innocentij III. in c. venerabilem. Concilij Viennensis in Clementina unica de jurejur.* Electorum denique & Imperatorum,
E c
qua

quæ suprà citavimus, testimonia, tamquam verissima, indubitata, & aded fide digna admittit, ut ea non tantùm negari non possè dicat, sed ne quidem vocari in dubium. At verò ex his ipsis Pontificum Principumque testimonijs clarissimè habemus, non jus tantùm eligendi quoad coronam, ritumque externum Germanis Principibus concessum à Sede Apostolica fuisse, sed *Eligendi advocatum & defensorem Ecclesiæ; Electoribus dissidentibus posse Romanum Pontificem non tantùm Imperatorem, sed Regem etiam eligere, alio rejecto omnique auctoritate exuto; posse Pontificem declarare electum à Principibus propter hæresin, censuram, aliudque impedimentum inhabilem regno esse: posse, immo teneri subditos ab eo, quem Pontifex ejusve Legatus excluderint, omnino deficere, & juramento solvi: Imperium auctoritate Pontificis à Græcis in Germanos translatum esse: Imperatorem ab eodem Pontifice per Electores recipere temporalis gladij potestatem, &c.*

Hæc omnia sunt verba ipsissima Innocentij, Concilij Vienneſis, Alberti Cæsaris, & Principum Electorum, quæ quodd non possint ad solam coronam ritumque externum, & cæremoniam haud necessariam referri, tam est clarum, ut nos pigeat plura disferere, mirumque sit voluisse hominem doctum utique, prudentemque distinctione tam miserâ fragilique causam tanti momenti fulcire, quam oportebat, aut non suscipere, aut firmiùs protegere.

Sed, inquit, jure naturali divinoque, qualibet Respublica caput sibi deligit; quid ergo hic opus auctoritate Pontificia? Fatemur & nos, nullasque Pontifici partes concedimus, nisi cùm Ecclesiæ bonum & necessitas urgent, alijque casus extraordinarij infrà nominandi, quod ipse Innocentius III. in Decretali, Venerabilem, & Doctor Angelicus lib. 3. de Regimin. Principis. c. 9. expresserunt, cùm enim miserimè jactaretur Ecclesia ex ambitione, factionibus, & potentiâ candidatorum, omnino Pontificis officium & cura fuit litibus bellisque modum aliquem & clavum figere, certâ eligendi formâ perpetuò constitutâ.

Quod attinet Albertum Stadenſem, & Martinum Polonum, quos duos tot alijs, sacrisque etiam Concilijs Maymburgus opponit, præfertque, jam dudum & solidè respondit Baronius ad annum DCCCCXCVI. n. 57. à quo sicut Maymburgus objectionem accepit, oportebat & solutionem accipere, aut, si hæc non placebat, rationem dare, eamque refellere: nunc verò cùm Maymburgus Baro-
nium

nium legerit, Baronium citet, ex Baronio auctores, quos sibi ille objecerat, describat; taceat verò, quæ Baronius ad objecta respondit, equidem vereor, ut laudem à candore bonaque fide hic Auctor mereatur.

Denique ad testimonium Matthæi Parisiensis, quod Maym-burgus inter fabulas refert, res sic habet. Matthæus Parisiensis Anglus monachus Albanensis historiam scripsit Anglicanam ab Anno MLXVI. usque ad Annum MCCLIX. ut constat ex continuatio-ne & supplemento ejusdem historiae ab alio S. Albani Monacho, & habetur in Codice bibliothecæ Salisburgensis; quamvis Baro-nius scribat pervenisse tantum ad Annum MCCL. Sed vide More-rum in suo Dictionario & vita Matthæi Parisiensis. Editus fuit hic liber Tiguri in Helvetia, civitate Religionis Calvinisticæ Anno MDLXXXIX. & Londini Anno MDLXXI. Nam ex bibliothecis An-glicanis tempore Elisabethæ Reginae emeruisse ex præfatione ad lectorem certum est, ut mirum non sit, si multa & sæpe in Pontifi-ces declamet; ceterà opus est omni ex parte laudatissimum. Hic ergo Auctor, cum in vita Henrici III. prolixè & distinctissimè acta Concilij Lugdunensis primi recitasset, Decretum de ordinanda Imperatoris electione continuo subjungit.

Electores Imperatorum Laici

Dux Austriæ.

Dux Bavariæ.

Dux Saxonum.

Dux Brabantiæ.

Prælati Principales.

Archiepiscopus Coloniensis.

Archiepiscopus Mogunt.

Salisburgensis.


Isti, ducentur in insulam quandam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amovebuntur omnes navicula, & ibi tractabunt de electione Imperatoris. Huic negotio prærit Archiepiscopus Coloniensis, secundus Moguntinus, tertius Salis-burgensis. His à Domino Papa directæ est diligentissima admonitio, ut sibi aliquem Imperatorem eligerent, &c.

Hæc Parisiensis, quæ postea inserta fuerunt actis Concilij Lugdunensis, ut videre est in Collectione Conciliorum per Severinum Binium. Sed Principes illic designati communi aliorum consensu & voluntate, retentoque numero Septemvirali, in alios mutati sunt, ut expressè testatur Albertus Stadenſis in Chronico.

Nec obstat Martinus Polonus, qui claruit sub Innocentio IV. Cum in Ottone III. hæc scribit: *Et licet isti tres Ottones per successionem generis regnaverint, tamen postea fuit institutum, ut per officiales Imperij Imperator eligeretur, qui sunt septem, videlicet Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, Brandeburgensis, Palatinus, Dux Saxonia, & Rex Bohemia: Nec enim illa dictio, postea, ut vult Maymburgus, refertur ad tempora Ottonum; sed, quod post istos Septemviri elegerint. Et demus, illud postea ad Ottones pertinere, non negat Polonus auctoritate Pontificis id factum, de quo tamen quaestio præcipuè vertitur.*

Jam Lectoris arbitrium & judicium esto, quàm feliciter Maymburgus præstiterit, quæ post apparatus pompamque verborum tantam promiserat, se videlicet alijs Auctoribus in obscuro versantibus, ipsique Baronio sæpe impingenti facem prælaturum, enimverò contra tot alios testes & monumenta, quæ nos produximus, quæque ipse Maymburgus fatetur authentica esse, & impugnari non posse, nihil aliud exhibuit, quàm duos Historicos Stadenſem & Polonum: Stadenſis ad rem non facit, ut ostensum; Polonus multo minùs. Quid ergo præstitit Maymburgus, nisi quòd lectorem ad epulas humaniter & magnificè invitatum vento pavit, dimisitque?





§. VII.

Quintus textus Canonicus ex c. Apostolica.
De sententia & re judicata in 6.

S U M M A R I A.

1. Historia Friderici II. Imperatoris ab Innocentio IV. in Concilio Generali Lugdunensi Imperio exuti.
2. Ipsa Decretalis.



I.

Non potest hic textus non esse venerationis summæ, parisque auctoritatis, apud Gallos præsertim, utpote in Concilio Lugdunensi conceptus editusque; qui, ut magis illustretur, facem ex historia præferimus.

Anno MCCIX. Otto IV. ab Innocentio III. coronatus est Imperator: sed vix Româ digressus Flaminiam, Faliscos, Apuliam, aliasque Ecclesiæ ditiones occupat, & jam Neapolitano Regno imminentem Innocentius diris percutit, & Fridericum à Principibus renuntiari Casarem curat. Fridericus ergo Henrici VI. filius Imperator eligitur, & Innocentius III. electionem ratam habet. Anno MCCX. Otto prælio cum Friderico congressus memorabili pugnâ cæditur, & in fugam avertitur: hinc mundi pertæsus dolensque præteritorum, à Pontifice obtentâ absolutione, exemplum veræ penitentia decedit. Post annos aliquot Fridericus contra Richardum & Thomam Anagninæ comites, Principesque Hærrurix, ac Innocentij fratres cum exercitu movet, quòd bellum agitent. Utrumque vincit, altero in carceres, altero in fugam actò: nec ira aut victoriæ moderatus, Episcopos curatæ seditionis conscios exilio proscribit, aliosque subornat: & contumaciam delicto adjungens, jure id factum tuetur, quòd etiam in Episcopos Imperatori potestatem esse diceret, nec alium, extra Deum, judicem agnosceret.

Opponere se Honorius Pontifex; Friderico in Ecclesiasticos jus nullum esse: palatia Imperatoribus non Ecclesias committi: Sicilia Regnum jure beneficiario à Pontifice Romano Fridericum tenere; hoc se indignum reddere, nisi captis abfistat. Cùm verbis nihil ageretur, excommunicatio in Cæsarem fulminatur, qui tamen expeditionem in terram sanctam magno cum apparatu ingressus continuò absolvitur. Sed vix tertium diem vela fecerat, cùm subito morbum aut passus, aut fingens, in portum redit. Fama est, quatuor supra quadraginta armatorum millia ite ingressos, audito Cæsaris reditu, arma & crucem exuisse, reliquos expeditioni jam accinctos æquè absterritos: Gregorius IX. Imperatorem violatæ fidei ac juramenti reum, tantique causam mali, anathemate ferit. Anno MCCXXVIII. in Palæstinam Cæsar transmittit, receptaque Civitate sanctâ, alijsque à Sultano Babylonico locis, indignas cum Barbaro condiciones init, pacemque cum Papa instaurat. Anno MCCXXXV. filium ad mortem compellit, ditio- nes Ecclesiæ vastat, Episcopos Galliæ, Hispaniæ, Angliæque Romam ad Concilium profectos, unaque tres Legatos Cardinales, ac triremes duas & viginti per infidias capit. Gregorio ob tam crudeliter à Cæsare facta, dolore oppresso. Cælestinus IV. Pontifex renuntiat, sed octavâ decimâ ab electione die extinctus. Successit Innocentius IV. qui Fridericum bello totâ Italiâ grassantem veritus in Galliam secedit, Lugdunum anno MCCXLV. Concilium Generale indicit, in Fridericum apparatu Pontificio indutus, facesque cum alijs Prælati, qui aderant, manu quatiens, & mox humum allidens solemniter diras pronuntiat, Imperio abdicat, & Principibus, ut alium eligant, mandat. Sequenti anno evehctus in Imperium Henricus Thuringiæ Dux. Verùm ab eo tempore fortuna, quæ Cæsari hætenus adhæserat, continuò averfa, omnesque Fridericum execrati, donec factorum impænitens, & ut aliqui scribunt, à Manfredò filio notho in lecto oppressus infeliciter excessit, justâ DEI vindictâ, ut, qui Ecclesiam Matrem indignissimè afflixerat, à filio caderet. (a)

II. Audiamus nunc Decretalem. Innocentius IV. Sacro præ- sente Concilio ad memoriam sempiternam. Cùm dura guerrarum commotio nonnullas professionis Christiana provincias diutius afflixisset, nos ad Fe-
deri-

(a) Vide Abbatem Urspergensẽ ad hunc annum. Spondanum ibidem. Morcrum in Friderico II.

dericum precipuum Principem secularem hujusmodi dissensionis & tribulationis auctorem, à felicitis recordationis Gregorio Papa IX. prædecessore nostro, pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum speciales nuncios & magna auctoritatis viros duximus destinandos &c.

Nos itaque super præmissis, & quàm pluribus alijs ejus nefandis excessibus, cum fratribus nostris, & sancto Concilio deliberatione præhabita, diligenti (cum Jesu Christi vices licet immeriti teneamus in terris, nobisq; in Beati Petri persona sit dictum: Quodcumque ligaveris super terram, ligatum erit & in Cælis) memoratum Principem, qui se Imperio & Regnis omniq; honore, & dignitate reddidit tam indignum, omni honore ac dignitate privatum à Domino ostendimus, denuntiamus: & nihilominus sententiando privamus omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi perpetuò absolventes: auctoritate Apostolicâ firmiter inhibendo, ne quisquam de cetero sibi tamquam Imperatori vel Regi pareat, & intendat. Decernendo quoslibet, qui ei deinceps velut Imperatori, vel Regi consilium vel auxilium præstiterint, seu favorem, ipso facto excommunicationis sententia subiacere. Illi autem, ad quos Imperatoris spectat electio, eligant liberè successorem. Hactenus Concilium Lugdunense.

Audis hinc iterum, non Pontificem tantùm aut Concilium, sed utrumq; in medio ipsius Galliarum, consensuq; Ecclesiæ Gallicanæ sententiam pronuntiantem, quam defendimus, quamq; nemo alius impugnare potest, quàm qui apertè se & Concilio universali, & Ecclesiæ Gallicanæ adversarium profiteatur.



§. VIII.

Sextus Canonicus textus in Extravagante unica: Si Fratrum, ne sede vacante.

SUMMARI A.

1. *Historia Ludovici IV. Imperatoris.*
2. *Textus Extravagantis recitatus, & expensus.*

I.

Ro hujus Extravagantis majori explicatione sciendum est, fuisse conditam & promulgatam Avenione in Gallijs à Joanne XXII. Pontifice, natione, studijs, promotione Gallo, quique ex Episcopo Avenionensi & Franciæ Cancellario Pontifex electus est anno mcccxvi. teste Spondano ad eum annum. Multa hic Pontifex supræ in Reges potestatis exempla reliquit. Nam Henrico VII. Imperatore vitâ functo, plures ex septem Electoribus Ludovicum Bavarum hujus nominis IV. pauciores Fridericum Austriacum Ludovici consobrinum, Imperatores nominant; Austriacum Romæ, Ludovicus Aquisgranus coronatus, Imperio in partes scisso, belloque civili, quo Germania diu flagravît, accenso. Causa discordiæ fuit, aut quòd Electores Ecclesiastici præteriti, nec ad electionem vocati Austriaco adhæserint, aut quòd iste, licet duo tantùm & certa suffragia, pro se haberet, Colonienfis videlicet Archiepiscopi & Rudolphi Baviariæ Ducis ac Comitis Palatini: accedebant tamen alia duo incerta Ducis Carinthiæ, qui se Regem Bohemiæ, & alterius, qui se Marchionem Brandenburgicum ferebant. Ab utroque Bavaro videlicet & Austriaco Legati Avenionem ad Pontificem missi, qui fidelitatem & obedientiam promitterent. Pontifex Legatis benignè auditis, Regium titulum electis, donec lis finiatur, permittit; diem tamen utrique dicit ad jus suum coram Apostolica Sede prosequendum juxta Decretum Innocentij III. *in c. venerabilem, de electione*. Ludovicus verò non tantùm Imperatorem agebat, sed Gibellinos etiam in Italia concitabat, eorum armis & potentiâ Joannem in suas partes tracturus: Pontifex Austriacum, magnâ vi pecuniæ & Imperio promissis, in Italiam contra Ludovicum evocat, non armis tantùm, sed etiam calamo Romanæ sedi infestum. Inter alios Guilielmus Okamus Franciscanus ad Ludovicum defecerat, multisque libellis auctoritatem Romanam impugnaverat. Magno prælio ab Austriaco Bavaroque Mildorsij pugnatum pro corona est. Victoria Bavaro cessit, Austriacus captus, & post triennij carcerem liber dimissus, nec multò post dolore & ærumnis confectus est, Princeps omnino & ipse Imperio dignus, si duos Imperium caperet. Summa rerum penès Ludovicum stetit, extincto æmulo, & arma in Italiam conversa: Ludovicus enim à Gibellinis, qui

qui Italiam vastabant, imploratus, auxiliares copias contra Gue-
fos Pontificios misit: Pontifex instante præsertim Carolo IV.
Francorum Rege Ludovicum inonet, *Cæptis abstat: copias in Pontifi-
cem missas revocet: Imperiali titulo, dignitate & functionibus abstineat, donec
de legitima electione doceat; nisi faciat, ipso factò excommunicationem incurrat.*

Datum est hoc diploma Avenione, Anno Pontificatus VIII.
Gallis non tantùm hunc actum Pontificiæ potestatis non impu-
gnantibus, sed etiam urgentibus, sub quorum oculis bulla hæc da-
ta, & promulgata est. (a) Sed Ludovicus indicto Norimbergam
Episcoporum & Principum conventu, protestatus se Catholicæ
Romanæque Ecclesiæ filium esse, omnemque reverentiam Christi
Vicario debere, ad Concilium universale appellat, jus illic suum
demonstraturus. (b) Joannes Papa, ubi videt Ludovicum propo-
siti tenacem haud moveri, excommunicationem & censuras vi-
brat, eumque Imperio abdicat: hîc enimverò Ludovicus in ex-
trema prorupit: quæ tamen non illius culpa fuit, sed quorundam
potiùs, qui aulam sequebantur, Doctorum, quique infamibus
scriptis à scola Parisiensi postea concrematis, oleum foco adde-
bant: imposturæ præsertim Udaltici Hagenohr Cancellarij paul-
lo post vitâ functi, malasque artes confessi, ut videre est in libello
P. Niggelij Schyrensis Benedictini *de bonis operibus Ludovici IV.* Arma
igitur à Ludovico in Italiam & Romam translata.

Tertiam illic coronam accepit, nam secundam Mediolani jam
acceperat: Petrum quemdam de Corbaria, ex Religione Mino-
rum, quem Nicolaum V. appellârunt, Pseudopontificem creat (qui
postea Avenione in carcere diem obiit) & Joanni opponit. Quo
facto omnium animos in Italia præsertim à se abalienavit, ut pa-
lâm deficerent, eumque in Germaniam reverti compulerint.

Anno MCCCXXXIV. Mortuo Joanne Benedictus XII.
eligitur Pontifex Maximus, ad quem missis Legatis renuntiare
se dixit Ludovicus titulo Regis & Imperatoris Romanorum, &
ab olvi petijt. (c) Sed absolutione dilata Legatio An. MCCCXXXVI.
reperita, missique Procuratores, qui nomine Ludovici contra Jo-
annem Pontificem, vel Ecclesiam Romanam olim facta, revoca-

Ff

rent,

(a) Vide Bzovium ad annum MCCCXXIV.

(b) Vide Hervvarth pag. 248.

(c) Bzovius ad annum MCCCXXXV. n. 7. Ex Chron. Alberti Argent. &
Mutij de rebus Germanicis lib. 24.

rent, & in integrum restituerent, ablata Ecclesiæ redderent, donationes ab Imperatoribus factas confirmarent &c. Sequæ, nisi pactis & pollicitis steterit, excommunicationi alijsque pænis, etiam amissioni Regnorum & Imperij, si hanc pænam Pontifex decreverit, submittit: ubi planè agnovit Ludovicus, esse Pontifici jus factæ hanc pænam infligendi: Verba ipsius Ludovici in suo ad Papam diplomate 8. Martij Anno MCCCXXXVI. hæc sunt: *Quod si intra tres menses alios prædictos monitioni prædicta non paruerimus cum effectu, & per alios tres menses prædictos novem menses immediatè sequentes de gratia expectati, monitioni non paruerimus, ut præfertur, liberum sit Romano Pontifici, prout sibi expedire videbitur, ad alias pænas procedere contra nos, privando etiam nos, si sibi videbitur, Imperiali, Regiâ, & quâlibet aliâ dignitate &c. (a)*

Responsum Legatis Ludovici: Si cum Ecclesiâ & Deo in gratiam redire vellet, Ochamum, Bonamgratiam, Michaëlem Casenatem, folles discordiarum, dederet: Calumnias, suorum instinctu, in Joannem Pontificem passim, & publicè vulgatas, corrigeret: Edicto caveret, neminem deinceps Imperatorem esse, vocariq; posse, cujus electionem sedes Romana improbaret: Ipse Ludovicus se suumq; Imperium nova electioni committeret: pacta denique cum Anglorum Rege, alijsque Regis Christianissimi hostibus rescinderet; hæc, si faceret, ad Ecclesiâ sinum receptum iri. Plerasque harum conditionum Bavarus iniit, nobilissimâ iterum Legatione ad Pontificem missâ: sed bellum Anglicum spem omnem præcidit; dum enim per oratores hæc petebantur, interim arma cum Eduardo contra Philippum Valesium, Gallia Regem sociaverat, eumque in Belgio Vicarium constituerat, quo titulo Hollandiam, Geldriam, Brabantiam sibi Anglus adjunxit. Ergo, ne Ludovicus in gratiam cum Ecclesiâ rediret, obstabat Gallus, ejusque offendendi metus. Maymburgus de la decadenze &c. lib. 6. Anno MCCCXXXVII. initio.

Anno MCCCXXXVIII. Eò res devenerant, ut Benedictus expugnato mitigatoque Philippi Francorum Regis animo, missâque etiam Roberto Duci Bavaria, & Ludovici ex filio nepoti, rosâ benedictâ, negotium in portu videretur: cum ex insperato omnia iterum turbata, Francofordiam Comitibus Ludovicus indicit: Angliæ Regem Imperij Vicarium pronuntiat, Legatos suos Avenione

revo-

(a) V. Bzov ad ann. MCCCXXXVI. fol. 746. ubi integrum diploma Legatis commissum recitat.

revocat, & novum Germaniæ Patriarcham constituit, ac diploma vulgat, quo potestatem regiam in nullo casu Pontificiæ subjacere declamat, & qui huic Decreto non subscriberent, sacros, prophanos, Ecclesijs, Monasterijs, bonis omnibus moveret. (a)

Mortuo Benedicto Clemens VI. Ludovicum Ecclesiæ civitates invadentem, diris iterum, & cum apparatu percutit, jubetque Imperij Electores, abdicato Ludovico alium Imperatorem eligere; Maymburgus *de la decadenze lib. 6. anno MCCCXLVI.* Si negligenter, jus eligendi ad Pontificem devolutum iri: paruerunt Electores, electoque in Imperatorem communibus votis Carolo Marchione Moraviæ hujus nominis IV. Sequenti anno MCCCXLVII Ludovicus equo, dum ursum insequitur, lapsus, aut, quod alij dicunt, veneno periit. Eodem anno Ochamus fax omnium majorum extinctus est. Ludovicum prius sibi redditum, quam moreretur, & veniam peccatis suis, opemque Deiparæ Virginis implorasse, quamplures historici tradunt apud Bzovium ad annum MCCCXLVII. Et Maymburgus *lib. 6. de la decadenze de l' empire.* Nec negari potest, fuisse Ludovicum Principem Imperio omnino dignum, & in quem omnes artes regnandi, cum magna pietate, munificentia, clementiaque confluerant: & si pugnas cum Romanis Pontificibus aliorum potiùs consilijs, dolis, duritiâque promotas excipias, aternâ memoriâ dignum: de cujus virtutibus vide laudatum Patrem Niggelium, qui ex M. SS. codicibus Bibliothecæ Schyrensis §. 8. & 9. cap. 5. hæc recitat. *Benedicto successit Clemens VI. Quid hic iterum noster Ludovicus? Minime desuit causa. Nam alios de novo Legatos misit, qui serè cum omni animi demissione absolutionem (si qua opus habuisset) peterent; atque ut toti orbi innotesceret, quàm obtemperantem se Apostolica Sedi stiterit, iisdem chartam pergamenam sub sigillo suo magno commisit, eamque apertam, puram, mundam (biancam vocant) nullis tinctam litteris aliòve genere (sic expressè lego in nostro M. S. auctore, quem propter venerandam antiquitatem in his bonis Ludovici nostri operibus passim sequor) eum in sinem, ut quidquid summus Pontifex injungere, qualemcunq; penitentiam, aut satisfactionem à Ludovico fieri vellet, id omne inscriberetur, &c. Attamen Legatos sensit perfidos. Nam chartam, ut jam dixi, litteris omnino vacuum insigni & inauditâ perfidiâ onerârunt; siquidem in gratiam Clementis*

FF 2

scri-

(a) Vide Bzovium ad annum MCCCXXXVIII. à n. 8. Trithem. Naucleorum Generatione 45. ad annum MCCCXXXVIII. circa finem.

scripsere, Ludovicum liberè se fateri hæreticum, & illegitimè in Regem electum; id quod deinde publicè recitatum ansam dedit (si ansa fuit) Clementi ad anathemata, &c. Quidquid sit, ista omnia patientissimè tulit Ludovicus, & vel hâc solâ patientiâ maximos Imperatores superavit, quia seipsum vicit: Maxima autem victoria est sui ipsius. Similis aut majoris perfidia erat ejus Cancellarius M. Ulrichus Hagenohr Augustanus. Is cum sigillum Imperatoris curæ suæ demandatum haberet; accidit fortè, ut à nonnullis Magnatibus ob aliæ contractum graviter accusaretur. Ubi ex jussu Ludovici per 18. aut 15. Pralatos se Norimbergæ purgavit, mox pristina dignitati restitutus est: asserant enim Pralati, Cancellario contra jus & æquum esse factum. Interim perfidus iste Cancellarius omnem lapidem movit de vindictâ sumenda. Proinde Magnates illos ad Casarem gravissimè detulit, & eidem assiduus instigator fuit, ut in Imperio pellerentur, omnibusq; bonis suis quantumcûq; exuerentur: sed cum actum ageret; tale quid commentus est. Ludovicus iteratò misit Legatos Avenionem ad Clementem, additis etiâ litteris, in quibus promittebat debitam obedientiam Sedi Apostolica. Hoc prorsus opportunum sibi duxit M. Ulrichus. Nam cum Casar ejus vindictam agere nollet, ipse sui vindictam in Casare egit. Etenim litteris alijs perfidè fictis, & Casareo sigillo munitis inseruit, Pontificem esse bestiam illam de mari ascendentem &c. Atque hoc illius tam grande facinus eò usque latuit, donec id supremo judici revelare placuit tali modo. Non enim multo post Ulrichus gravi morbo correptus, inter acerrimos corporis animiq; cruciatus publicè fassus est, se unicum serè horum malorum Pontificem inter & Imperatorem causam extitisse, eò quòd Ludovicus hostes suos secundum suam toties repetitam petitionem è medio non sustulisset. Quod ubi Casar rescivit, & unâ ex Medicis intellexit, eundem ultra tres pluresvè dies in vivis haud futurum; tametsi, ait, sceleratus hic homo omni poenâ & morte turpissimâ dignissimus foret, ego tamen ejus judicium supremo judici relinquo. Et cum dicto ubertim in lacrymas prorupit: Das grosse Weinen (refert. M. S. noster auctor) vnd Klagen / das der Kayser hätt / kan niemand beschreiben / potuisset utique miserum hominem miserimè perdere, nisi misericordiam patientis Christi in animum revocasset &c.

Carolus IV. Romæ coronatus est Anno MCCCLV. & materiam contentionibus, quæ aded frequentes erant & perniciosæ, circa electiones Imperatorum sublaturus, Norimbergæ celebrem illam constitutionem edidit, quam vocant Bullam auream Anno Christi MCCCLVI. Innocentij VI. Anno IV. cum consensu & approbatione Legati Apostolici, Magnatumque Imperij, Ceterum ipse
Caro-

Carolus, priusquam à Sedis Apostolicæ Legatis, Petro Ostiensi Episcopo, & Ægidio S. Clementis Cardinalibus nomine Innocentij, qui Avenione degebat, coronaretur, solemnij juramento donationes Romanæ Ecclesiæ olim ab Imperatoribus factas confirmavit, eiq̃ defendendæ se obstrinxit, ut videre est in ipso Caroli diploma apud Bzovium ad Annum MCCCLV.

Jam ad nostram Extravagantem à longo, sed necessario diverticulo redeamus. Cùm Gibellinorum factionibus armisque eodem tempore Italia turbaretur, quo à Joanne XXII. electionem suam confirmari Ludovicus petebat: adeò ut Italiæ Proceres pristina libertatis & Imperij admonitos, ad defectionem urgerent, ejusmodi Ferrariâ Romanis Præfectis: Joannes præsentem edidit extravagantem, in qua vacante Imperio interim à summo Pontifice saltem per Italiam, jus Imperiale exerceri solitum dicit, jubetque Ludovicum electione adhuc dubiâ, & lite inter ipsum & Fridericum Austriacum necdum decisâ, imperatorijs falcibus abstinere. Hodierno tamen jure post auream Bullam Vicarius Imperij est Dux & Elector Saxonix, in partibus vid. Saxonici juris, & omnia illa potest, exceptis specialibus, quæ Imperator: in partibus verò Rheni, Sueviæ, Franconiæ, Comes Palatinus, à quo hanc dignitatem Vicariatûs transiisse in domum Bavaricam auctoritate Ferdinandi II. scribit sæpe laudatus Hermes in Fasciculo c. 23.

Audiamus jam verba ipsius Extravagantis. *Si fratrum & coepiscoporum nostrorum, & aliorum quorumlibet jura illibata servari, & ab omni fore dispendio diminutionis extranea cupimus, multò fortius pro nostris, & Romana Ecclesia Sponsa nostra juribus & honoribus conservandis, ex injuncto nobis officij debito Apostolica provisionis partes tenemur impendere, ne temporibus nostris usurpationis injuriam subeant. Sanè in nostram & fratrum nostrorum deductum est notitiam, quòd licet de jure sit liquidum, & ab olim fuerit inconcussè servatum, quòd vacante Imperio, cum in illo ad secularem judicem nequeat haberi recursus, ad summum Pontificem, cui in persona Beati Petri terreni simul & celestis Imperij jura DEUS ipse commisit, Imperij prædicti jurisdictio, regimen & dispositio, devolvuntur, &c. Nos igitur volentes nostris & Ecclesiæ Sponsæ nostræ juribus & honoribus in hac parte prospicere, & malis ac scandalis, quæ ex retentione, assumptione seu resurrectione hujusmodi orta sunt hætenus, nec non periculis animarum salubriter occurrere cupientes, præsentium auctoritate monemus omnes sub excommunicationis pena, & singulos cujuscunque status,*

praeminentia, dignitatis aut conditionis existant, etiam si Regiâ, seu aliâ quâcunque præsurgant dignitate, qui post vacationem Imperij absque nostra, vel Sedis prædictâ licentiâ hujusmodi Vicarij nomen assumpserunt, vel retinuerunt, ab usu, potestate, & exercitio supra dictis prorsus abstineant, & omnino desistant. Et ut quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes & singulos, qui hujusmodi Vicariatus nomen retinentibus juramento fidelitatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi, quantum ad hoc de potestatis plenitudine absolventes, Apostolicâ auctoritate firmiter inhibemus eisdem, ne talibus, ut Vicarijs vel officialibus Imperij aliquatenus pareant, vel imendant, &c. datum Avinione in domo Episcopali pridie Calendâs Aprilis, Anno 1.

Habemus in hac extravagante, Beato Petro Cœlestis simul & terrestris jura Imperij commissa: quando sæcularis judicis copia non est, recurri ad summum Pontificem posse: si propter eligentium discordias Imperium & consequenter Ecclesia, cujus Advocatum Imperator agit, periclitatur; posse summum Pontificem Electis & Electoribus imperare, quæ componendæ paci necessaria fuerint.

Ubi animadvertit, non esse aut negotij, aut intentionis nostræ examinare, quæ inter Ludovicum Imperatorem, summosque Pontifices contingere, id enim ab alijs præstitum est, multisque ambagibus plenum: id solum contendimus, quæ à Joanne XXII. Benedicto XII. & Clemente VI. contra Imperatorem, ejusque abdicationem decreta sunt, in Gallijs facta, & promulgata esse, & à Gallo ipsisque Electoribus probata, qui vivente adhuc Ludovico Bavaro Carolum IV. elegere, ut Clementis VI. mandatis obedirent: teste Maymb. lib. 6. de la decadenze. Et potissima ratio, quæ Pontifices remorata est, ne Ludovicum nunc armatum, nunc supplicem Ecclesiæ & Imperio restituerent, Galliæ Regum auctoritas fuit; qui nunquam Pontifices ad Imperium Ludovico adimendum, alteriq; dandum urfissent, nisi hanc in Pontifice potestatem agnoscerent; quis enim de Regibus æqui amantissimis sibi persuadeat, cum audirent, viderentque Imperatores citari, puniri, abdicari, coronas transferri, diplomata contra illos, & sententias dici, scribi que; eas in Gallia non tantum ferri, sed etiam promulgari, passuros fuisse; immo, ut fierent omnino ad laborasse, si crederent nullam in Reges esse Pontifici auctoritatem? Planè ipsi Galli scriptores fatentur, Reges Galliæ in primis apud Pontifices id egisse, ne Ludovicum in gratiam Regnumque reciperet, & Imperium Carolo
con-

conferret. Vide Morerum, in Dictionario Historico in Vita Ludovici IV. & Maymburgum l. 6. de la decadence de l'empire, ad annum MCCCXL. & MCCCXLI. & MCCCXLIII.



§. IX.

Septimus textus Canonicus in Extravagante, unam sanctam: inter communes, de Majoritate & obedientia: & Extravagante, meruit: de privilegij.

SUMMARI A.

1. *Quæ de Bonifacio VIII. apud Gallos opinio.*
2. *Semper Principibus fatales & perniciose sacerdotum, Pontificum præsertim, persecutiones, quod exemplis ostenditur.*
3. *Constitutio Bonifacij.*
4. *Confirmata per aliam Clementis V. Gallorum studiosissimi, quæ expenditur.*



I.
Bonifacij VIII. Pontificis Maximi memoriam Gallis infaustam ingrathamque esse, nemo est, qui ignorat: nec nobis animus est, quæ inter illum Regesque Galliz contigerunt, aut excusare, aut proscindere: hoc non debemus, illud nolumus; cum non de virtutibus vitijque nobis concertatio, sed veritate sit.

De Bonifacio VIII. ad annum MCCCIII. sic loquitur Spondanus Episcopus Gallus: Moritur Bonifacius animi marore anno MCCCIII. Pontificatus sui 9. in quem, cum scriptores Franci stylum acuam, laudatur tamen ab alijs, tanquam Ecclesiastica libertatis egregius defensor, observatq; Genebrardus: Philippum IV. cognomine Pulchrum Gallia Regem nunquam dem-
ceps

ceps prosperè habuisse, ut ab Episcopo Moraniensi viro sanctissimo prædictum fuerat, tribus etiam ejus filijs absque prole mascula brevi extinctis. Ubi observare licet: permillum quidem esse Regibus & Principibus sua jura suasque dignitates contra quoscunque etiam Romanos Pontifices tueri, salvo semper moderamine inculpatæ tutelæ, &, ne plus agant, quàm oportet; id enim exigit reverentia communi Patri Christi que Vicario debita; unde perpetua omnium temporum experientia docuit, malè semper Principibus cessisse, cum terminos justæ defensionis egressi, & vindicandi studio rapti, arma contra sacerdotes, præsertim Pontifices, induerunt: adeò ut scriptores illi, aulici que, qui prætextu quidem Regiæ potestatis augendæ, sed reverà, ut lucrum & auram captarent, Principes contra Pontifices armârunt, unà etiam perdiderint.

II. En tibi exempla Paralipomenon. 2. cap. 26. Post descriptionem Ozia Regis felicitatem, quamdiu divinæ legi obedierat, subjungit sacer textus: *Sed cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum DEUM suum, ingressusque templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis, statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta resistunt Regi, iratusque Ozias minabatur sacerdotibus, statimque orta est lepra in fronte ejus, & perterritus acceleravit egredi, eò quod sensisset illico plagam Domini.* Et 2. Paralipomenon. 24. versu 1. & 17. *Septem annorum erat Joas cum regnare coepisset, fecitque, quod bonum est coram Domino cunctis diebus Fojada Sacerdotis. Postquam autem obiit Fojada, ingressi sunt Principes Juda & adoraverunt Regem, qui delinitus obsequijs eorum acquievit eis. Et dereliquerunt templum Domini DEI Patrum suorum, & facta est ira contra Judam & Jerusalem propter hoc peccatum. Spiritus itaque DEI induit Zachariam filium Fojada Sacerdotem, & stetit in conspectu populi & dixit eis; Hac dicit Dominus Deus: quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis dominum, ut derelinqueret vos? Qui congregati adversus eum miserunt lapides juxta Regis Imperium. Qui cum moveretur, ait: Videat Dominus & requirat. Cunque evolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syria, & interfecit cunctos Principes populi. Et certè cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum insuetam multitudinem, eò quod dereliquissent Dominum DEUM. In Joas quoque Regem ignominiosa exercere judicia. Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis: surrexerunt autem contra eum servi sui in ultionem sanguinis filij Fojada sacerdotis, & occiderunt*

derunt eum in lectulo, & mortuus est. Vides hic exemplum memorabile Principis, dum Sacerdotum consilio paruit felicitis, postea adulatione decepti, perditique.

Arcadius Imperator post victorias contra Rufinum, Persas, Gainam, cum Chrystostomo, alijsque Episcopis cœpit infestus esse, eosque in exilium cogere, alijsque modis affligere, intempestivâ morte, & vix trigesimum primum ætatis annum egressus vivis eripitur. *Socrat. lib. 6. cap. 17.* Sed multò infelicior Eudoxiæ Imperatricis, eundem Chrystostomum persequentis mors: quæ, cum uterum ferret fœtu diu retento & putrescente, tandemque magico carmine effuso, animam unâ emisit; & urna, in qua cadaver ejus conditum, visa perpetuò agitari. *Niceph. lib. 13. c. 36.* Nec est, ut aliquis dicat Chrystostomum fuisse sanctum, & idè illius persecutores tam acriter punitos; nam & dignitas ipsa Pontificia, quâ Christum repræsentant, & character, quo insigniti sunt summi Pontifices, multò majorem sanctitatem habent, & venerationem merentur.

Justinianus Imperator debellatis Gothis, Wandalis, Persis, Affricâ Italiâque receptis, pacis, & belli artibus gloriosissimus ad summum pervenerat felicitatis & potentia: cum Theodoræ blanditijs captus, Vigilio Pontifice Maximo dirissimè vexato pulsoque, in hæresin labitur, eâque ipsâ horâ, quâ Anastasium Episcopum Antiochenum aliosque sacerdotes in exilium rapi jusserat, improvisâ morte occumbit. *Nicephorus lib. 17. c. 31.* Ipse Belisarius Justiniani Dux, qui Affricam, Persiam, Siciliam, Italiam, Romam victorijs & triumphis impleverat, dum sævienti Theodoræ Imperatrici obsequitur, & Silverium Papam in exilium pellit, ipse tandem in suspitionem affectatæ tyrannidis adductus, amissis dignitatibus, opibus, oculis, inter ærumnas ultimamque paupertatem è vivis abiit. *Zonar. Cedrenus, Glycas, &c.*

Theodorico Gothorum Regi omnia ex voto fluxerant, donec Joannem Pontificem mori inter carceres ærumnasque compulit, tunc aversâ fortunâ, & mente captus delirio extinctus est. *Procop. de bello Goth.*

Fridericus Ænobarbus post toties afflictam vexatamque Romanam Ecclesiam, factorum penitens, susceptâ in terram sanctam expeditione, deletis ad interneconem usque aliquoties Barbaris,

in medio victoriarum cursu, dum æstum meridianum natatu levat, infelicissimè mergitur, DEO videlicet injurias olim Pontificibus illatas vindicante. (a)

Fridericus II. Imperator Romanæ Ecclesiæ summisque Pontificibus toties infestus & excommunicatus tandem à proprio filio strangulatur. Exemplis hujusmodi abundant historiarum. Nos ad extravagantem Bonifacij revertimur, quàm primò dabimus, deinde aliam Clementis V. ut hujus apud Gallos auctoritas etiam illam muniat, & hæc alterius exceptiones absolvat. Sic ergo habet.

Bonifacius VIII.

III. *Unam sanctam Ecclesiam Catholicam & Apostolicam urgente fide credere cogimur, & tenere. Igitur Ecclesia unius unum corpus: unum Caput non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet & Christi Vicarius Petrus, Petriq. Successor, dicente Domino ipsi Petro; Pasce oves meas; non singulariter has vel illas, sed generaliter, per quod commississe sibi intelligitur universas, &c. In hac ejusq. potestate duos esse gladios, spirituales videlicet, & temporalem, evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis, Ecce gladij duo hic, in Ecclesia scilicet: cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. Certè qui in Petri potestate temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis: Convertite gladium tuum in vaginam. Uterq. ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exerendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum & militum, sed ad nutum & patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati. Nam cum dicat Apostolus: Non est potestas nisi à DEO, quæ autem sunt à DEO, ordinata sunt; non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tamquam inferior reduceretur per alium in suprema. Nam se-*

(a) Ut expressè habet Neubrig. l. 4. c. 13. Vide Blesensem epist. 169. vel 172.

cundum B. Dionysium, lex divinitatis est, infima per media in
Suprema reduci, &c. Ergo si deviat terrena potestas, judicabitur
à potestate spirituali: sed si deviat spiritualis minor, à suo supe-
riori: si verò suprema, à solo Deo, non ab homine poterit judica-
ri, &c. Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam crea-
turam declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omni-
no esse de necessitate salutis.

Habemus in hac extravagante: Petro ejusque Successoribus
utrumque gladium datum esse, temporalem, videlicet, & spiritua-
lem: potestatem temporalem & Regiam spirituali tanquam di-
gniori subesse; & si contingat temporalem errare, à spirituali
corrigendam, judicandamque esse. Supremam verò & Pontifi-
ciam dignitatem, non alium judicem, quam DEUM habere. Vi-
detur hac constitutio à Bonifacio edita circa annum MCCCII. Ar-
dentibus jam inter ipsum Regemque Gallia Philippum simultati-
bus, quas multò etiam magis hoc Decretum accendit: sic enim
illud interpretati sunt Gallia proceres, ut crederent, voluisse Bo-
nifacium Regnum Gallia sibi temporaliter tanquam Beneficia-
rium subesse, illudque à Papa, non verò legitima successione, ac-
cipi oportere, ut legere est in epistolis à Clero Gallicano ad Bo-
nifacium datis in libro Gallico libertatum Ecclesia Gallicana n. 14. Clemens
ergo V. ut omnem dubitandi dissidendi que materiam amoveret,
Bonifacianam in hunc modum explicavit,

Clemens V.

Meruit Charissimi filij nostri Philippi Regis Francorum
illustris, sincera affectionis ad Nos & Ecclesiam Romanam inte-
gritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt.
Meruit insuper Regnicolarum puritas, ac devotionis sinceritas, ut
tam Regem, quam Regnum favore benevolo prosequamur. Hinc
est, quod nos Regi & Regno per definitionem & declarationem
bonæ memoria Bonifacij Papæ VIII. quæ incipit: unam sanctam:
nullum volumus, & intendimus præjudicium generari, nec quod
per illam Rex, Regnum, & Regnicola prælibati amplius Ecclesia

sint subjecti Romana, quam antea existebant, sed intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem praefatam.

IV. Nota Clementem definire, Regnum Galliae per Bonifacii constitutionem non magis Ecclesiae Romanae subjectum esse, quam antea fuerit: agnoscit ergo aliquam & antiquam subjecti-
nem temporalem (de hac enim tantum, non verò de spiritali dubitabatur) cum novam tantum excludat: ea verò antiqua sub-
jectio, nec juris humani, sed divini & naturalis ac regnis coaeva,
est illa ipsa, quam defendimus; cum videlicet necessaria est ad ve-
ram fidem ac religionem conservandam, finemque spiritualem,
quem omnia Regna & Imperia spectant, consequendum. Si enim
Clemens Papa ne hanc quidem & indirectam potestatem agnosce-
ret, non diceret: post Bonifacii Constitutionem Regnum Galliae
non amplius esse subjectum Ecclesiae Romanae, *Quam antea: & esse
in eodem statu, in quo ante constitutionem fuerat: sed potius nec ante con-
stitutionem, nec post ullo modo subjectum esse.*

Ubi ad tollendam omnem æquivocationem, quæ posset oc-
currere, sciendum est. Cum quaeritur, an summus Pontifex in
Reges, & Regna temporalem habeat potestatem? absolute respon-
deri posse, nullam habere. Cum enim hæc potestas sit indirecta,
subsidiaria, per accidens, ac extraordinaria, non denominat sub-
jectum; quod tale dicitur ab ijs, quæ plerumque, non verò qua-
raro accidunt. *Per L. 3. & 4. ff. de LL.* Quemadmodum absolute di-
cimus Principem aliquem Italum, vel Hispanum non posse eligi
Imperatorem, quæ propositio non excludit potentiam extraor-
dinariam: & in hoc sensu loquitur Innocentius III. *in c. per vene-
rabilem. qui filij sint legitimi. & c. novit. de judicijs.* Ubi absolute sum-
mus Pontifex negat sibi esse potestatem temporalem in Re-
ges Galliae: eaque si uteretur, indebitam & usur-
patam fore.



§. X.

Octavus textus Canonicus ex cap. grandi. de
supplen. neglig. Pralat. in 6.

SUMMARI A.

1. Innocentius IV. Gallis amicissimus.
2. Causa & historia scribendæ hujus Decretalis.
3. Ipsa Decretalis recitata & expensa.

I.

Auctorem habet hæc Decretalis Innocentium IV. de quo Spondanus ad annum MCCXLIII. Fuit, inquit, patria Genuensis, insignis Juris-Consultus, tantis à multis æstimatus, ut Patrem veritatis appellare non dubitarent. Regibus Galliarum planè ad dictissimus, ad quos sibi à Friderico II. metuens confugit, & indulgentiam decem dierum ijs omnibus concessit, qui pro Rege Christianissimo preces ad DEUM funderent, ut testatur S. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. a. 3. Spondanus ad annum MCCLI. Verba D. Thomæ loc. cit. sunt: *Quicumque orat pro Rege Francia, decem dies habet indulgentia à Papa Innocentio IV. Celebravit Concilium universale Lugdunense, & in conspectu totius Galliarum, quod infra diceretur, Fridericum II. Imperio exiit.*

II. Dedit Innocentius Decretalem nostram in Gallijs Anno MCCXLV. ejusque scribendæ causam Mariana lib. 13. c. 4. in hæc verba recenset: *Per id temporis Sancio Capello Regi Lusitano Mencia Reguli filia connubio juncta fuit, viri usque adeò potens, ut non Principem se, sed ministrum ageret famee cupiditatis. Apud eam gratia & auctoritate plurimum poterant, quos minimè omnium sportabat, ij soli omnium consiliorum participes erant, sine illis, neque domi, neque foris quidquam majoris rei gerebatur. Proceres rempublicam ignobitium hominum arbitrio agitari moleste ferebant. Res ad Pontificem Romanum delata. Viri sancti a. h. l. i. i. qui Regis animo, alioquin mini-*

mè mali religionem incuterent. Nihil eâ diligentia profectum. Erat Sancio frater atate proximus eximia indole, Alphonsus nomine. Episcopi Bracharensis, & Conimbricensis ad Innocentium Pontificem, qui hoc anno Lugduni Concilium congregarat, à Lusitanis proceribus amandati, cum Pontifici causas legationis explicassent, ut Sancius Regno pelleretur, non potuerunt impetrare. Id modo concessum, ut Alphonsus, dum viveret, rempublicam gubernaret.

III. Ipsa Decretalis sic habet; Innocentius IV. Baronibus, & comitibus Regni Portugaliæ. Mandamus, quatenus dilectum filium nobilem virum prefati Regis Portugallia fratrem de devotione, probitate, ac circumspèctione multipliciter commendatum, præsertim cum ad defensionem Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumq; piorum locorum Regni prefati, & personarum Ecclesiasticarum, nec non viduarum, orphanorum, & ceterorum ibidem degentium sit assumptus, cum ad vos accesserit (fidelitate, homagio, juramento, seu pacto, si aliquibus forè prefato Regi vel cuicumque alij personæ tenemini, aut etiam ipsius Regis prohibitione nequaquam obstantibus) in civitatibus & munitationibus Regni prædicti, cum omnibus suis recipere absque difficultate qualibet procuretis. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Bracharensi Archiepiscopo & Episcopo Conimbricensi damus in præceptis, ut vos per censuram Ecclesiasticam appellatione remotâ compellant. Per hoc autem non intendimus memorato Regi, vel ipsius legitimo filio prædictum Regnum adimere: sed potiùs sibi & eidem Regno destructioni exposito, ac vobis ipsis consulere.

Vides hic iterum tam ex historia, quàm contextu ipsius Decretalis, Regno & consequenter Ecclesiâ periclitante, cujus Advocati Reges sunt, posse summum Pontificem, legitimum alioquin Regem administratione privare, coadjutorem illi aut vicarium dare, subditos juramento fidelitatis absolvere, &c. Et hæc omnia præstare Pontificem suo jure, nec prælatis Galliæ, qui ad Concilium confluerant, aliud in mentem venisse, multoque minùs huic in Gallijs exercitiæ potestati litem intendisse.





S. XI.

Nonus Textus Canonicus ex c. per venerabilem, qui filij sint legitimi.

SUMMARIUM UNICUM.

Causa Decretalis scribenda, & ipse textus.

I.
Auctor hujus Decretalis est Innocent. III. de quo Spond.
Ad annum MCXCVIII. Innocentius præ cateris omnibus ob vita
honestatem, & scientiam literarum licet stens ejulans ac veniens
electus est ad Pontificatum: sed & signo visibili electio ejus con-
firmata est, columba post ejus nominationem candidissima juxta dexteram ejus
insedit.

Causa hujus scribendæ Decretalis Innocentio fuit, ut respon-
deret supplicationi Guilielmi comitis Pessulani, qui ex Mathilde,
filia Emmanuelis Imperatoris, legitima uxore, unicam filiam su-
sciperat, ex Agnete pellice filios aliquot, quos legitimariab In-
nocentio III. petebat, allegato Philippi Gallia Regis exemplo, cu-
jus filios illegitimos natalibus Pontifex restituerat. Sic Decretalis
sonat.

Innocentius III.

Nobili Viro Guilielmo Montis Pessulani. Per ve-
nerabilem fratrem nostrum Arelatensem Archiepiscopum, tua
nobis humilitas supplicavit, ut filios tuos legitimationis digna-
remur titulo decorare, quatenus eis, quò minus tibi succederent,
natalium objectio non noceret, &c. Videbatur autem ex eo tra-
here majorem audaciam postulandi, quòd cum Regis Francorum
filijs de benignitate Apostolica Sedis dispensavimus, &c. Ratio-
nibus

nibus igitur hisce indueti Regi gratiam fecimus, requisiti, causam tam ex veteri, quàm novo testamento trahentes, quod non solum in Ecclesie patrimonio, verùm etiam in alijs Regionibus certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercemus, non quod alieno juri præjudicare velimus, sed quia sicut in Deuteronomio continetur: Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicum intra portas videaris verba variari, venies ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: & facies, quacunque dixerint, qui præsent loco, quem elegerit Dominus: sequerisq; eorum sententiam: qui autem superbiverit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino DEO tuo, decreto judicis morietur. Sane cum Deuteronomium, lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, ut, quod ibi decernitur, in novo testamento debeat servari: locus enim, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur. Cum enim Petrus urbem fugiens exivisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat revocare, interrogatus ab eo: Domine quò vadis? respondit, venio Romam iterum crucifigi. Quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reversus. Sunt autem Sacerdotes Levitici generis fratres nostri, qui nobis jure Levitico in executione sacerdotalis officij coadjutores existunt. Is verò super eos sacerdos sive Judex existit, cui Dominus inquit in Petro; Quodcunque ligaveris super terram, erit & ligatum in calis. Ejus Vicarius, qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, constitutus à DEO judex vivorum & mortuorum. Tria quippe distinguit judicia. Primum inter sanguinem & sanguinem, per quod criminale intelligitur & civile. Ultimum inter lepram & lepram, per quod Eccl.asticum & criminale denotatur. Medium inter causam & causam, quod ad utrumq; refir-

refertur, tam Ecclesiasticum quàm civile: in quibus, cum aliquid fuerit difficile, & ambiguum, ad iudicium est Sedis Apostolica recurrendum, cuius sententiam, qui superbiens contempserit observare, mori precipitur, id est, per excommunicationis sententiam velut mortuus à communione fidelium separari. Paulus etiam, ut plenitudinem potestatis exponeret, ad Corinth. scribens ait: Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quoniam magis secularia? Licet igitur cum filiis saepe dicti Regis (de quibus an fuerint legitimi ab initio dubitabatur) duxerimus dispensandum: quia tamen tam lex Mosàica, quàm Canonica sobolem susceptam ex adulterio detestatur testante Domino, quòd manzeres & spurij usque ad decimam generationem in Ecclesiam non intrabunt. Canone verò vetante tales ad sacros ordines promoveri: secularibus quoque legibus non solum repellentibus eos à successione patriarà, sed negantibus ipsis etiam aiimenta: petitioni tua non duximus annuendum, &c.

In hac Decretali Summus Pontifex apertè testatur, se in locis dominio suo temporali subjectis plenam exercere jurisdictionem temporalem, in alijs verò locis non plenam, sed limitatam, certisque ex causis: idque iure non tantum voluntarij compromissi (de quo nullum dubium esse potuit, cum hoc non in solam personam Summi Pontificis cadat) sed iure divino expresso Deuteron. 17. & ad Corinth. 1. Videatur Barbofa ad hoc c.



§. XII.

Decimus textus Canonicus ex c. alius item. causa 15. q. 6. alijq. textus allegati.

S U M M A R I A.

7. Recitatur c. alius item. causa 15. q. 6. alijq. textus remissivè.



I.

Hujus textus historiam infra & ex professo explicabimus, quò lectorem remittimus, nunc tantùm verba recitabimus: habetur autem hic Canon in regesto Gregorij VII. lib. 8. epist. 21. ad Hermannum Metensem Episcopum scripta, ubi; Alius, inquit, Romanus Pontifex, Zacharias scilicet, Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo, quòd tanta potestati erat inutilis, à Regno deposuit: & Pipinum Caroli M. Imperatoris Patrem in ejus locum substituit, omnesq; Francigenas à juramento fidelitatis, quòd illi fecerant, absolvit. Quòd etiam ex auctoritate frequenti agit S. Ecclesia, cum milites absolvit à vinculo juramenti: quòd factum est his Episcopis, quòd Apostolicà auctoritate à Pontificali gradu deponuntur.

Ceterùm ad propositum argumentum, nostramq; sententiam confirmandam deserviunt multi alij canones, quos brevitate causà tantùm allegabimus, sunt autem c. ad abolendam g. de heret. c. licet 10. de foro compet. c. ult. de panis. c. decernimus. de sentent. excommunic. in 6. c. Si duobus. de appellat.



§. XIII.

Ecclesiasticam potestatem etiam in Reges eorumq; temporalia extendi auctoritate Concilij Constantiensis, quâ Convēntus Gallicanus maximè nititur, clarè ostenditur.

SUMMARI A.

1. Historia Concilij Constantiensis.
2. Ejus pro nostra sententia quàm plures constitutiones.
3. Quas cum Galli, & merito venerentur, omnem exceptionem superant.

I. Con=

I.



Constantiensis Concilij apud omnes Catholicos summa est auctoritas: tum ob ingentia bona, quæ in Ecclesiam universam redundarunt, sublato ingenti obstinatoque schismate, quo tot annis conflictata est: tum ob viros doctissimos, qui ad illud confluxerunt: ut merito Conventus Parisiensis in secunda propositione fateatur: *Sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsiq; Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata esse Decreta, atque ab Ecclesiâ Gallicana perpetuâ religione custodita.* Videamus ergo, quæ hujus œcumenicæ Synodi in argumento, quod versamus, fuerit sententia; si enim ostendatur, id omnino & sentire, & docere, quod probandum suscepimus, erit irrefragabile, invictumque illis saltem argumentum, qui tantam, & merito, huic Concilio reverentiam profitentur.

Prius verò, quàm Decreta hujus Concilij in medium producantur, rem totam à suis principijs repetemus, sic enim clarior evadet, historiâ prælucente: enimverò & hæretici in errores, & Catholici in non paucas difficultates impegere, ignorantiam factorum decepti. Causa ergo, ob quam Constantiense Concilium convenit, sic habet.

Sederant Pontifices jam LXXII. annos Avenione in Gallijs, eorumque absentiam ingentia bella, seditiones, calamitates exceperant nunquam extinctæ. Eas ut tandem compesceret Gregorius XI. in Italiam cogitabat; & stimulos addente B. Catharinâ Senensi tandem ex Gallia evasit Anno MCCCLXXVI. Biennium post moritur. Electio novi Pontificis in partes scissa, natumque obstinatum & diuturnum schisma, quo Ecclesia Catholica xxx. totos annos miserè conflictata est. Volebant Italum Itali, Gallum Galli: electus tandem Bartholomæus Neapolitanus Barensis Archiepiscopus, quem Urbanum sextum appellarunt. Hic dum corruptelas, quæ passim libereque vagabantur, emendare aggreditur, & à ferro curationem incipit, agros in medentem concitavit, maximè purpuratos. Tertio quippe ab electione mense, Joannæ præsertim Neapolis Reginae potentiâ freti, Robertum Cardinalem Gibbenensem collatis votis Pontificem renuntiant, qui Clementis VII. nomen accepit, & Avenionem in Gallias navigavit. Schismati prætextus,

ut fieri solet, quæritus: quòd videlicet Urbanum VI. elegerint metu compulsi. Itali, Germani, Angli, Hungari, Urbano adhæsere: Galli, Scotique Clementi, Hispani utrique. Urbano è vivis sublato successere Bonifacius IX. Innocentius VII. Gregorius XII. Alexander V. & Joannes XXIII. Clementi verò Antipapæ larva potiùs quam Papa Petrus de luna, quem Benedictum XIII. appellârunt, quo nemo sanctiùs pacem Ecclesiæ promisit, nemo pertinaciùs negavit. Gregorius XII. cùm pacis gratiâ se Pontificatû exuisset, si modò Benedictus idem faceret: hoc recusante, nec Gregorius pollicitis teneri se dicebat: sed in Concilio Pisano uterque depositus est, surrogato, ut dicebamus, Alexandro, & post hunc Joanne. Contigit ergo eodem tempore tres in Ecclesia Pontifices videri Gregorium, Benedictum, & Joannem, ignaro Orbe, cui capiti parereret. Ad Schisma igitur extinguendum tam Ecclesiæ perniciosum, Concilium universale Constantiæ indicitur, auctoritate Joannis XXIII. & Sigismundi Imperatoris operâ, inchoarique est cœptum Anno MCDXIV. 5. Novembris, cui Joannes Pontifex, Sigismundus Imperator, quatuor Patriarchæ, viginti novem Cardinales, quadraginta septem Archiepiscopi, Episcopi 160. (alij 270.) Prælati & Doctores 564. hominum sexaginta millia adfuere: productum est in tertium annum. In hoc Concilio Joannes XXIII. cùm priùs se pacis gratiâ Pontificatû abiturum promississet, è fuga retractus, multorumque criminum postulatus, à Concilio in ordinem redigitur: eadem in Benedictum dicta sententia, quamvis obstinatè throno hærentem, nec à Sigismundo Imperatore, qui propterea in Hispaniam profectus fuerat, flecti se passum. Gregorius sponte, ut juraverat, cessit: sic ad novam electionem à Concilio proceditur, & Martinus V. Pontifex renuntiatur. (a) Interfuit Concilio Joannes Gerson Cancellarius Universitatis Parisiensis, ex cujus præsertim eloquentia & doctrina, velut oraculo, Patres pendebant.

II. Hic circa Concilium Constantiense præmissis, videamus, quæ in præsentî quæstione illius fuerit sententia, non verbis, sed quod plus est, factis expressa. Cùm enim Gregorius Episcopus Tridentinus datis ad Concilium litteris graviter contra Fridericum Austriæ Ducem, jura & bona Episcopatus invadentem conquestus

esset:

(a) Æmilium in Carolo VI. Platinam, Spondan. ad ann. MCCCCXVII.

effet: Concilium Sess: 20. ad eundem Austriae Ducem monitorium in hæc verba expedit: *Sacro sancta Generalis Synodus Constantiensis universos & singulos Venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos &c. requirimus & monemus primo, secundo, tertio & peremptorie &c. quatenus prefatum Fridericum Ducem Austria, & alios occupatores predictos requirant, & moneant, quos nos etiam tenore presentium sic requirimus & monemus, ipsiq; Friderico Duci in virtute S. obedientia, & sub anathematis, sacrilegij, privationis omnium bonorum feudalium, qua ab Ecclesia seu Imperio obtinet, & inhabilitationis sua & filiorum suorum masculorum ad obtinendum tam feuda, quam officia & beneficia usque ad secundam generationem, & honoris & fama ac communionis in consilijs Principum &c. Et Sess. 28. Contra eundem Fridericum. Eadem Synodus declarat, Fridericum & alios occupatores cujuscunque status, gradus, conditionis aut praeminentia, etiamsi Ducalis fuerint, sententias & censuras, in dicto monitorio comprehensas incidisse. Et infra. Committit ergo prefata S. Synodus charissimo filio Ecclesia defensori & advocato Sigismundo Regi Romanorum semper Augusto, cujus specialiter interest ad requisitionem Ecclesia contritas & oppressas Ecclesias restaurare &c. Et eandem sententiam executioni demandare &c. Et Sessione 31. In monitorio contra Comitum Virtutum: *Etsi (quod absit) predictas penas interdicti & excommunicationis dictus Philippus Comes animis sustinuerit induratis, ad omnes alias penas spirituales & temporales auctoritate presentium procedere valeant. Et Sess. 37. in sententia contra Benedictum XIII. Eadem sancta Synodus universalem Ecclesiam representans omnes Christianos ab ejus obedientia (Benedicti videlicet XIII.) atque juramentis, & obligationibus, eidem quomodolibet prestitis, absolvit, & absolutos esse declarat, ac omnibus & singulis Christi fidelibus inhibet, sub poena sautoria schismatis, haeresis atque privationis omnium beneficiorum dignitatum, & honorum Ecclesiasticorum & mundanorum, & alijs penis juris, etiamsi Regalis sit dignitatis, aut Imperialis, quibus, si contra hanc inhibitionem fecerint, sint auctoritate hujus Decreti ac sententia ipso facto privati &c. Et Sess. 39. ubi providetur Schismati futuro: *Ut autem metus seu impressionis molestia in electione Papa ed formidolosius evitetur, duximus specialiter statuendum, quod si quis hujusmodi metum vel impressionem aut violentiam electoribus intulerit, seu fecerit, aut fieri procuraverit, vel factum ratum habuerit, cujuscunque status aut praeminentia fuerit, etiamsi Imperiali aut Regali praesulgeat dignitate, illas penas ipso facto incurrat, qua in constitutione Bonifacii Papae VIII. qua incipit: Felicitas: continentur, illisq; effectualiter puniatur. Hæc Synodus Constantiensis repetens infligentque penas Decretalis,***

quæ habetur: *cap. 5. de poenis in 6. ubi: Reus criminis laesa Majestatis perpetuo sit infamis, diffidatus nihilominus & bannitus, sit intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex testamento vel ab intestato vocetur: fiant habitationes ejus deserta, & ut non sit, qui eas inhabitet; dentur cuncta ipsius ædificia in ruinam, & ut perpetua notam infamiae perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur: nullus ei debita reddere, nullus respondere in judicio teneatur, &c. Si qua verò feuda vel beneficium spirituale vel temporale ab aliquibus Ecclesijs obtinet, sit eis ipso jure privatus, &c. Nulli præterea talium filiorum atque nepotum ex virili sexu descendantium ab eisdem alicujus aperiatur janua dignitatis, aut honoris Ecclesiastici vel mundani. In Sess. 42. habemus imperâsse Concilium Sigismundo Imperatori, & Ludovico Bavarizæ Duci, ut Joannem XXIII. custodirent; nec prius hoc custodiendi onere solvi potuere, quàm ex licentia Martini V. Summi Pontificis, quo electo cessavit omnis jurisdictio & auctoritas Concilij, ut legenti ipsum Concilium patet. Bulla Martini Sess. 42. inter alia hæc habet. *Martinus Episcopus Servus Servorum Dei Charissimo in Christo filio Sigismundo Regi Romanorum, &c. Cùm nuper nos instanter & sæpe requisieris, quatenus personam dicti Balthasaris de tua custodia recipere, teq; & eundem Ducem de prædicta custodia liberare & exonerare vellemus; nos attendentes, quantis laboribus & studijs pacem & unionem Ecclesiæ omnipotentis DEI nostri fueris profecutus, &c. Volentes te ac eundem Ducem ab omni onere liberare, decernimus, & ordinamus, &c.**

In Bullâ Martini V. quæ habetur post Sess. ultimam, idem Summus Pontifex omnib⁹ Principibus, & Dominis temporalibus mandat, ut Inquisitoribus hæreticæ pravitatis omne auxilium & favorem præbeant, eosq; in vestigandos, capiendos, custodiendosq; curent.


Et in eadem Bulla post enumeratas hæreses Wicleffi & Hussij idem Pontifex sacro approbante Concilio: *Volimus insuper ac statuimus, & decernimus, ut omnes & singulos hæreticos, etiamsi Regali, Reginali aut aliâ quâvis Ecclesiasticâ vel mundanâ præfulgeant dignitate, auctoritate nostrâ diligenter inquirere studeatis, & eos, quos per inquisitionem hujusmodi difsamatos, vel alias hujusmodi hæresis & erroris labe respersos reperietis, auctoritate prædictâ etiam per excommunicationis, nec non privationis dignitatum, ac etiam bonorum, & dignitatum secularium puniri faciatis, &c.*


Videatur Constitutio Carolina auctoritate Concilij Constantiensis expedita, ut patet, Sess. 19. quæ Carolina habetur post Concilium:

cilium: maxime verò §. *Item eadem auctoritate, &c. & §. Item dicta Synodus, &c.*

Habemus ergo ex Concilio Constantiensi, eos qui invadunt bona & jura Ecclesiastica, posse à summo Pontifice & Concilio universalis jurisdictione privari, infamiâ notari, bona ab omnibus occupari, etiam si Ducalis fuerint dignitatis. *Sess. 28.* Et in confirmatione Carolina paullo post initium. Bonis omnibus dignitatibus & honoribus non tantum Ecclesiasticis, sed etiam temporalibus abdicari, cujuscunque dignitatis fuerint etiam Regalis. *Sess. 37.* circa finem. Ducibus immo Imperatoribus præcipere, ut ad Ecclesiæ & Pontificis arbitrium custodiæ aliquem mandent, dimittantque. *Bulla Martini Sess. 42.* Ut hæreticos investigent, capiant, custodiendos curent. *Bulla Martini post Sess. ultimam.* Fautores & receptatores hæreticorum, sub pœna privationis omnium feudorum, bonorum ac dignitatum etiam temporalium coërceant. *Bulla Martini post Sessionam ultimam circa fin.*

III. Patet jam Concilij Constantiensis quamvis mens fuerit, quantumque à doctrina Parisiensis Conventus aliena: hic enim primam propositionem hanc ponit: *Principes in temporalibus nulli Ecclesiæ potestati nec directè, nec indirectè subjectos esse.* Constantiense verò Concilium toties tamque repetitis vicibus Principes Regesque dignitatibus, honoribus, bonisque temporalibus, si jura Ecclesiæ invadant, si hæreticis faveant, multandos esse decernit, ut proinde vel hoc, vel Parisienses Patres falli necesse sit: qui & cum Concilio, & secum ipsis manifestè pugnant: cum Concilio quidem, cujus doctrinæ aliam omnino contrariam opponunt: secum ipsis, quia propositione secundâ Synodum Constantiensem sanctam & immotam, & ab Ecclesia Gallicana semper custoditam cultamque dicunt, ejusque Decreta, velut lineam & terminos Pontificiæ Auctoritati statuunt, & tamen ab illa continuè & longè discedunt, & quam maxime laudant, maxime impugnant.





S. XIV.

Concilij universalis Lateranensis IV. in eandem sententiam Decretum ex c. 3. de Hæret.

SUMMARI A.

1. *Historia & Verba Concilij Lateranensis.*
2. *Conventum Parisiensem, cum SS. Canonibus & Concilijs omnem reverentiam profiteatur, non debuisse propositiones edere SS. Concilijs, Canonibus, Decretis Pontificum & antiquitati omnino contrarias.*



I.
 E hoc Concilio ita loquitur Spondanus ad annum MCCXV. Celebratum est Generale Concilium Lateranense Kal. Novemb. omnium, quæ unquam in Europa habita fuerunt, celeberrimum, cui videli. et interfuerunt cum Innocentio Papa, Archiepiscopi septuaginta, Episcopi quadringenti, Abbates duodecim, Priores Conventuum octingenti, quos inter extitère Patriarcha Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, atque Alexandrini & Antiocheni Legati, itemq; Oratores Imperatorum Orientis & Occidentis, Regum Gallia, Hispania, Anglia, Hierosolymorum, & Cyprî.

Ludovicus Morerus scribit, fuisse hoc Lateran. IV. per excellentiam appellatum *Magnum Concilium*, ob prodigiosum numerum Episcoporum, qui ad illud confluxère; illique Orientis & Occidentis Imperatorum, Gallia, Anglia, Hungaria, Hierosolymorum, Cyprî, & Aragonia, Bzovius addit, Bohemia & Dania Regum Oratores adfuisse, ut proinde, si Concilium aliquod universale, hoc maximè dicendum fuerit. In hoc ergo Concilio c. 3. quod incipit: *Excommunicamus*. Patres sic loquuntur: Si verò dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit

glexerit ab hac heretica fœditate, per Metropolitanum excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse Vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, &c.

Hactenus Concilium, cujus sententia est tam clara, ut planè nullam admittat exceptionem.

Et hæc quidem SS. Canonum testimonia sunt, ex quibus, quæ Patrum fuerit sententia, sole clarius evadit, tantoque urgent efficacius, quòd Conventus ipse Parisiensis propositione tertiâ fateatur: *Apostolica potestatis usum moderandum per Canones Spiritu DEI conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, Patrumq[ue] terminos manere inconcussos, atq[ue] id pertinere ad ampliitudinem Sedis Apostolicae, ut statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmata, stabilitatem obtineant.*

Hæc sunt verba Parisiensis declarationis. Si ergo debita sacris Canonibus Sediq[ue] Apostolicæ reverentia postulat, ut semel ritè statuta, ne quidem ab ipso Pontifice Maximo refigantur, quanto magis Episcopos Pontifice inferiores obstringent, ijsq[ue] necessitatem imponent nihil, quod illis adversetur, docendi jubendiq[ue] ? Si ergo, quæ hactenus in medium produximus Decreta, sunt Canonica, à SS. Patribus sacrisq[ue] Concilijs facta, publico juri inserta, usu & approbatione non cujuscunq[ue], sed sanctissimorum Patrum, & Doctorum, ut postea dicemus, recepta, exemplis cursuq[ue] tot sæculorum munita; oportebit utique doctrinam, quæ ab illis discedit, abluditq[ue], suspectam omnino reddi, & alienam à veritate. Nec, quid istis Canonibus opponi possit, videmus; nisi forsân dicas, à summis Pontificibus in causa propria editos, nec proinde mereri fidem indubitatam, nec in Gallijs admissos esse. Verùm hæc responsio nimis est imbecilla, ut tantis tantorumq[ue] Patrum auctoritatibus opponi queat, & in juris notissimum principium impingit. Utroq[ue] enim jure receptissimum est, quemlibet judicem, seu ordinarium seu delegatum cognoscere & judicare posse, an sua sit jurisdictio. (a) Et si cognoverit suam esse eandem, valeat mandatis pœnalibus contra non obtemperantes defendere. (b) Quod verissimum saltem est in Principe supremo, nec alteri

Ii

sub

(a) L. si quis ex aliena. 5. ff. de judicijs L. 2. ff. si quis in jus vocatus.

(b) L. 1. in pr. ff. si quis jus dicenti, &c.

subjecto, qualem esse Summum Pontificem alibi dicemus, & expressè ac ingenuè confessà est Synodus Sinuessana trecentorum Episcoporum in causa Marcellini Pontificis, 1. Tomo Concil. & habetur. c. nunc autem 7. dist. 21. ubi: Nullus tamen eorum proferre sententiam in eum ausus est, dum ei sapissimè omnes perhiberent; Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio. Et iterum: Noli, ajunt, audire, nostro judicio; sed collige in sinu tuo causam tuam. Et rursus: Quoniam ex te, inquirunt, justificaberis aut ex ore tuo condemnaberis. Et infra: Prima Sedes non judicabitur à quoquam. Videantur plures textus eadem distincti. & c. si Papa 6. quod est S. Bonifacii Archiepiscopi & Martyris dist. 40. Et insigne exemplum est in Leone III. cujus permisso, immo jussu cum in Ecclesiam S. Petri Italia Galliaëque Prælati, & ipse Carolus M. convenissent de innocentia Pontificis, quam æmuli criminabantur, cognituri; unâ voce ab Episcopis conclamatum est; se Apostolicam Sedem, quæ est caput omnium DEI Ecclesiarum, judicare non audere, cum ex antiquo more illa omnes judicet, & à nemine judicetur. (a)


Si ergo nemo alius est, qui Pontifici maximo jus dicat, de sua jurisdictione ipse cognoscet, & necessitas in propria causa judicandi, immo potiùs in causa Christi & Ecclesiæ, suspicione illum absolvet; nam, ut diximus primâ conclusione, nulla est Pontifici in Principes, eorumque jura & dominia potestas, nisi cum Ecclesiæ publica causa hoc remedium, & necessarium, & ultimum extorquet. Deinde si auctoritates, quas ex jure Canonico modò produximus, ideò suspectæ, quia ab ipsis Pontificibus in sua, ut dicunt, causa; quis ergo, cum lis Pontifici movetur, decider? Concilium Oecumenicum & Universale, quod tanto laborum & temporis impendio, tantisque principum impedimentis vix aliquando cogitur, ut in Tridentino vidimus, & coacto tot exceptiones opponuntur? erunt ergo lites indecisæ, immortales; & si ad Concilium differantur, sine exitu discordiæ. Si Concilium Generale aliquod est, quo Pontifices etiam indirectè, & cum ultima necessitas premit, prohibentur in Principes potestatem exercere, producat in lucem; Si nullum produci potest, ut planè non potest, non intelligimus, quâ auctoritate Conventus Parisiensis doctrinam à SS. Canonibus, Pontificibus, Concilij toties & tam clarè assertam re-

spue-

(a) Vide Anastasium in Leone. Et Maymburgus in Historia Iconoclastæ ad initium anni DCCC,

spuerit; immo propositionibus exadversò, & velut in contrariam aciem armatis impugnatum iverit: num ergo Pontifex M. non tantum universali Concilio, sed etiam Parisiensi subest? & si non subest, cur ab isto judicatur, & canones à Romano Pontifice facti non evertuntur tantum, sed tot tantisque cautelis, ne resurgant, curatur, ut credas Episcopos auctoritatem, quam Pontifici negant, sibi in Pontifices usurpasse?

Quod si denique hæc omnia cessent, & Decreta Summorum Pontificum erroris aut dubia fidei postulentur, Concilia saltem, quæ allegavimus, superant exceptionem omnem, cum & sint generalia, & partim in Gallijs habita, partim à Gallis magnâ veneratione culta, qualia sunt Lateranense, Lugdunense, Viennense, & Constantiense: ergo non poterant, nec debebant à Conventu Parisiensi, qui particularis est, nec paris cum Concilio Generali auctoritatis, litem & bellum pati, ab illis præsertim, qui tam copiosè tantoque apparatu observantiam Canonum profitentur, Summisque Pontificibus inculcant. Si Concilij Universalis, aut Papæ Decreta refigi possunt abolerique, hoc ab alijs Concilijs Universalibus, non privato Conventu præstari debuit.



§. XV.

*Hæc ipsa SS. Pontificum auctoritas & potestas
exemplis confirmata.*

SUMMARIÆ.

1. *Exempla Childerici III. & Pipini Francorum Regum expensa.*
2. *Caroli M. Francorum Imperatoris.*
3. *Tria alia B. Gregorij M. & Concilij VIII. Toletani.*
4. *Berengarij Imperatoris, & Boteslai Polonia, & Philippo Francorum Regis.*

5. *Hungaria Croatia Dalmatiaq.*
6. *Henrici IV. Imperatoris, Regis Nordhanhumborum, Emma-
nuelis Comneni, & Friderici Aenobarbi Imperatorum.*
7. *Alfonsi Regis Lusitaniae, Othonis IV. Friderici II. Alfonsi Re-
gis Castellae.*
8. *Philippi IV. Regis Francorum, Reipublicae Venetae, Joannae Re-
ginae.*
9. *Joannis Albretani Regis Navarrae, Henrici & Elisabethae An-
gliae Regum, Cosmi Ducis Hetruriae, & Henrici M. Franco-
rum Regis.*



I.

Hactenus Canones, Concilia, Patres; deinceps exempla omnium temporum producemus, quae hanc in Ecclesia potestatem semper agnitam exercitamque fuisse ostendent; nec aliud Patres docuisse, quam fecerint, adeo ut vel hos ignorantia damnare & impietatis oporteat, quantumvis pietate & sanctitate eximios; aut ingenuè fateri, doctrinam Parisijs nuper expositam, nihil habere cum illis commune, & eorum patrocinio destitui, quos maximè suos cupiant; verbo, aliud Ecclesia sensit, fecitque, quam isti doceant; quod res ipsa, quam aggredimur, ostendet.

Anno DCCLI. Jussu & auctoritate Zachariae Pontificis Childericus III. ob inertiam regendi que imperitiam Regno depositus, & Pipinus bello & potentia insignis in thronum proventus, Rem totam copiosè & eleganter describit Aemilius in historia rerum Francic. & vita Childerici III. fol. 46. Pipinus Burchardum Wirzburgensium Episcopum ad Zachariam Pontificem Max. Oratorem misit, ut Franci solverentur jurisjurandi religione, quam se Childerico devinxerant. Is Romam profectus, ac ad Pontificem Max. admissus ita locutus est, &c. Et infra. Oratorem Gallum sic perorasse scribit: Tu autem Beatissime Pater sic apud animum tuum constitue, te uno ex edicto, solvendisq; jurisjurandi Religione Franci plus gloria inventurum, quam ex impietate victa Martellus reportavit. Oratione Episcopi motus Zacharias initio minime audebat tam magni momenti cogitationem suscipere, sed tandem Francos sacram. nro regi Childerico dicto solvit.

Idem

Idem habet Eginhardus in vita Caroli M. ab initio, ubi: Gens, inquit, Merouingorum, de qua Franci Reges sibi creare soliti erant, usque in Hildericum Regem, qui jussu Stephani Romani Pontificis depositus ac detorsus, atque in Monasterium irusus est, durasse putatur. Et intra: Pipinus autem per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto palatii Rex constitutus est.

Rhegino in Chronico; Jussu, inquit, Papa per auctoritatem Apostolicam Pipinum Regem creari, ne perturbaretur Christianitatis ordo.

Otto Frisingensis lib. 5. c. 22. Zacharias consultus respondit, & ipsius auctoritate Pipinus a Bonifacio Archiepiscopo Mogunino, & alijs Regni Principibus in Regem eligitur.

Fredegarius ad annum DCCL. fol. 161. Quo tempore una cum consilio & consensu omnium Francorum missa relatione à Sede Apostolica, auctoritate percepta, præcelsus Pipinus electione totius Francia in Sedem Regni sublimatur.

Annales Francici à Pithæo editi: Anno DCCLII. Zacharias Papa ex auctoritate Petri Apostoli mandat Populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate Regiã urebatur, nominis quoque dignitate frueretur.

Abbas Utspergensis ad annum DCCXLIII. circa finem: Sic ergo Pipinus ex Præfecto palatii auctoritate Apostolica sublimatus, & unctus in sedem Regni, regnavit annis XV. absolutus per eundem Papam Stephanum à juramento, quod Regi Hilderico cum ceteris Regni primoribus fecerat. Idem testantur expressis verbis Sabellicus Enneade 8. lib. 8. fol. 301. Robertus Gaguinus in historia Francica lib. 3. fol. 45. Platina in Zacharia, Spondanus ad annum DCCL. Et denique habetur in c. alius, causa 15. q. 6.

Causa deferendi Pipino Regnum fuit, ut diximus, tum ignavia Childerici Regis, tum necessitas eum Principem deirerendi contra Longobardorum injurias, Italiae Sedis que Apostoli & ejusque ditionibus extrema minantium. Et plane summa beneficia sunt, quæ à Pipino Pontifices acceperunt. Nam Zachariã è vivis sublato Stephanum III. per summos honores in Gallijs, quod velut ad sacram aram confugerat, excepit; Alpes cum exercitu transmisit, caesis, qui transitum obtederant: Aistulphi Longobardorum Regis copias delevit: Regem, victoriae certus, Ticini obsedit, & tandem ad condiciones compulit, ut videlicet, quæ ademerat Ecclesie, reddere, adjunctã insuper Exarchiã Ravennate, quam Pontifici dono dedit. Pipino vix Italiam egresso Aistulphus omnia ferro flammæque vastare, & copijs Romæ admotis Pontificem obsidere.

Implorata iterum & ultimis quidem precibus Pipini arma. (a) Qui Alpes iterum transgressus Romanam obsidione liberat, bis victor Aistulphum Ticino includit: Legatos Copronymi Exarchiam Ravennatensem repetentis infectâ re dimittit: Aistulphum ipsum, Gallis jam propè irrupturis, ad petendam pacem compellit, non aliter concessam, quàm, ut quæ proximè lapsò anno convenerant, imple-
ret: cederet Ravennæ Exarchatu, & unâ Pentapoli, Arimino, Pisauro, Anconâ, Auximo, Urbino, totâque Æmiliâ, quæ omnia per Fulradum Abbatem Romano Pontifici data, clavesque tumbæ Apostolorum impositæ, & ipsa donatio consensu filiorum Pipini Regni que procerum solemniter firmata. Sic mutuis beneficijs inter Regem Papamque certatum est, Rex Pontifici coronam & Regnum; Pontifex Pipino libertatem & Principatum debuit.

Anno DCCLIV. Stephanus III. Parisijs Pipinum & filios Reges coronat, inungitque: ac Principes Francos juramento adigit, nunquam ex alia quàm Pipini stirpe Regem electuros. Audi Æmilium in vita Pipini prope initium: Pipinus, inquit, ad tertium à Carisiaco oppido lapidem Stephano obviam progressus, pedes, ut ferunt, exosculatus, coerceri non potuit, quin in equo sedentem ipse pedibus ad frenum profectus in Regiam deduceret. Per aliquot dies nullum genus honoris, religionis, comitatus prætermisum fuit. Antea ad Cæsares ibant Pontifices Maximi: hic primus ex Italia ad externos Reges se contulit. Ad eum visendum adorandumque, tota ex Gallia & finitimis gentibus concursus omnium mortalium fuit. Hæc celebritate Pipinum coronavit, sacræque unctione imbuit, &c. Eundem filiosque, Carolum & Carlomannum inunctos benedixit, omniaque, fausta in omne tempus sacræ ceremonijs apprecatus, simul diris detestationibus infectatus est, si quis contra moliri auderet. Ita prius acceptum jus regnandi, tunc quasi divinitus confirmatum, & immortale factum in ea familia videbatur: ut in Pipino non magis invictas vires formidarent mortales, quàm Religionem revererentur.

Ludovicus Imperator Caroli M. filius in epistola ad Hilduin. quæ habetur in Areopagiticis: *Gesta sunt autem hæc, inquit, à B. Stephano Papa adjuvantibus SS. Apostolis Petro & Paulo anno ab Incarnatione DCCLIV. quo inter celebrationem & oblationem Sacratissimi Sacrificij unxit in Reges Francorum florentissimum Regem Pipinum, & duos filios ejus Carolum & Carlomannum, atque Francorum proceres auctoritate B. Petri sibi à Do-*

(a) Vide Baron. ad annum DCCLV.

mino Jesu Christo traditâ obligavit & obtestatus est, ut nunquam de altera stirpe Regem super se præsumant aliquo modo constituere; quos & divina providentia ad sanctissimam & Apostolicam Sedem tuendam eligere dignata est, &c.

Abbas Urspergensis ad annum DCCLIII. Francorum, inquit, Proceres unâ cum populo auctoritate B. Petri Apostoli obligavit, & protestatus est eos, ut nunquam de alia stirpe Regem sibi præponerent, nisi ex eorum propagine, quos divina Providentia in defensionem Ecclesia est dignata sublimare, &c.

Gaguinus hist. Franc. lib. 3. fol. 45. Stephanus autem, ut Regi gratificaretur, Pipino benedixit, & posteritati ejus, atque qui temeritate aliqua adversus Francos bella moverent, communionem Christianâ interdixit, &c.

Joannes Nauclerus Volum. 3. Generat. 26. iisdem verbis rem describit. Videatur etiam Spondanus ad annum DCCLIII.

Circa utrumque hoc Zachariæ & Stephani factum observant Scriptores, qui hæc referunt, esse omni exceptione majores, præsertim Eginhardum, qui Carolo M. à secretis fuit, nec unquam ab ejus latere discessit, multoque minùs ignorare potuit, quæ sub ejus oculis fiebant. Deinde Pontifices, qui Regnum Franciæ in Pipinum transfulere, fuisse Sanctissimos, nec posse ullam arrogantiam aut injustitiæ notam, aut suspicionem in illos cadere, multoque minùs ignorantiam divinæ & naturalis legis in re tanti momenti, quam nunquam attentâssent, nisi potestatis suæ certi. Zachariam inter Sanctos relatum esse, & annuâ memoriâ cultum testis est Anastasius in ejus vita, Baron. & Spondanus ad annum DCCLII. Ludovicus Morerus in Dictionario Gallico de Stephano III. Æmilius in vita pipini prope initium idem testantur; nec verò hos Pontifices consilio tantùm, sed etiam jussu, & auctoritate Pipinum Regno admovisse, patet ex citatis auctoribus quorum verba tam sunt clara, ut adjungi nihil possit: sufficeret ergo, si omnia deessent, hoc exemplum ad ostendendum ijs, qui libero, nec occupato affectibus animo veritatem quærunt; quid tunc temporis Regnum & Ecclesia Gallicana senserit de Pontificia in Reges potestate, tunc inquam temporis, cum viris, sanctitate, Zelo, & doctrinâ summis florebat.

II. Anno DCCLXXIV. Carolus M. expugnato Ticino, capto Desiderio Rege regnoque Longobardorum penitus deleto, ab Hadriano Papa Romanorum Patricius jubetur teste Sigeberto in Chronico ad hunc annum. & habetur in c. Hadrianus dist. 63. & c. seq. Adelmus

delmus in *annal. Franc. ad annum 801.* Fuit verò dignitas Patricialis amplissima, multoque major Consulatu, & Imperiali proxima, & illâ præditi, Patres vocabantur Imperatorum. (a)

Hadrianum verò, qui hanc dignitatem in Carolum contulit, quâ Occidentis Imperio aptabatur, fuisse notæ sanctitatis, testatur Spondanus *ad annum DCCLXXII.* ut adeò credi non possit, cum alienam potestatem involâsse, non suâ usum.

Anno DCCXXX. Gregorius II. Synodo Romam indictâ Leonem Isauricum, quòd Sacris imaginibus impiè juxtâ & crudeliter bellum inferret: quòd S. Germanum Sede Patriarchali & vitâ expulisset: quòd Ecclesiam persequeretur, sanguine, cædibus Catholicorum omnia miscens: quòd calcato gentium jure Legatos Pontificis exilio proscripisset: quòd denique animum obstinâset hæresi toto Imperio sparsâ; has ob causas Leonem excommunicatione percellit, & ne illi Romæ, aut in Italia tributa pendantur, prohibet, adornatâque in Gallias Legatione, Carolo Martello periclitantem Ecclesiam commendat, & oblato consulatu ac Protectoris titulo, cum exercitu in Italiam vocat. (b) Et hic Gregorius II. in tabulas Sanctorum relatus annuâ celebritate colitur.

Anno DC. S. Gregorius Mediolanensibus concedit, ut extinctâ Regum Longobardorum stirpe, ejus civitatis Antistes coacto Provincialium Episcoporum Concilio Regem eligat, quem velit. (c)

Anno DXCIII. *Potentibus Francorum Regibus*, inquit Spondanus ad hunc annum, *Beatus Gregorius Magnus Monasterio Sueffionensi S. Medardi in Gallia privilegium concedit, quo illud constituit caput Monasteriorum totius Gallia, & nullius voluit ditioni subijci, præterquam Sedis Apostolicæ. In fine verò privilegij, Regibus, Antistitibus, iudicibus, & alijs, quicumque hoc privilegium violare præsumerent, excommunicatio & dignitatis privatio denuntiatur.* Hæc Spondanus *ad annum DXCIII.* Initium hujus privilegij sic habet: *Preiosissimis lapidibus in diademate Christi merito renitentibus omnibus sanctæ DEI Ecclesiæ membris Gregorius licet sanctæ Romanæ Sedis Pontificio sublimetur, humillimus tamen Servorum DEI servus, &c. & infra: Si quis autem Regum,*

(a) Vide L. 3. & ultimam Cod. de Consul.

(b) V. Cedrenum anno 9. Leonis Isaurici. Zonaram in Leone. Maymburg. Hist. Iconoclast. ad annum DCCXXX. circa finem. Spondanum ad eundem annum.

(c) V. Sig. in. de Regno Italiæ Ann. DCI. Spond. ad annum DC.

Regum, Antistitum, judicum hujus Apostolica auctoritatis & nostræ præceptionis Decreta violaverit, aut contradixerit, vel aliter ordinaverit, cujuscunque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo privetur, &c. habetur hoc privilegium lib. 2. epist. indict. 11. epist. 38. nova edit: Meminit ejusdem privilegij Gregorius VII. lib. 8. epist. 2. & lib. 4. epist. 2. & 23. Baronius ad annum DXCIII. n. 85. Illique postea Theodoricus Rex Franc. alijque Episcopi subscripserunt; ut hîc iterum videas, quamnam federit Ecclesiæ Gallicanæ opinio de potestate Pontificia. Tanta verò fuit Beati Gregorij modestia & humilitas, tanta etiam doctrina, ut nihil minus cogitari possit, quam aut quid Regibus debeatur, illum ignorasse, aut contra istorum jura & Majestatem potestate suâ abutum.

Anno DCIII. ad Beatum Gregorium Magnum missa legatio à Francorum Regibus, quâ inter alia Legationis capita Ecclesijs S. Martini, Monasterio ancillarum DEI, & Xenodochio à Regina constructis privilegia petebantur, quæ à Beato Gregorio concessa, & adjuncta clausula: *Si quis verò Regum, Sacerdotum, judicum, Personarumq; secularium hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, reumq; divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, &c.* habetur hoc privilegium totum lib. 11. epist. 10. indictione 6. Circa quod & similia privilegia bene observat Spondan. ad annum DXCIII. n. 3. non fuisse Pontificum mentem, ob quamcunque privilegiorum violationem pœnam ad eò gravem irrogare, sed tum demum, cum violatores id in odium seu detestationem, Sedisque Apostolicæ contemptum obfirmato in eorum perniciem animo perpetrarent, ita ut non tam privilegiorum causa, quam Romanæ Ecclesiæ, fideique Catholicæ ageretur.

Idem Beatus Gregorius, cum Mauritius Imperator legem edidisset, quâ publicis rationibus & militiâ obligati prohibebantur Religionem ingredi: edictum Imperatorium correxit, ut videlicet rationibus liberi, & militiâ necdum expletâ, si tamen seriò constanterque mundo renuntiarent, admitti possent, sicque correctum Imperatoris diploma Episcopis observandum misit. (a)

Anno DCLIII. Celebratum est in Hispanijs Concilium Toletanum VIII. cui præter Abbates & absentium Vicarios interfuerunt Episcopi 52. præfuitque Orontius Emeritensis Metropolitana-

K k

nus;

(a) Vide lib. 1. epist. 11. Indict. 1. Baron. ad annum DXCIII. n. 22.

nus: in quo statutum, ut defuncto Regi Pontifices Hispani, & Magnates successorem eligerent, sic habetur *in c. 10. ejusdem Concilij*. Præscribere autem formam & ordinem eligendi Regem est maxime actus politicus, quem tamen ob maxima incommoda, quæ in electionibus contingebant, & quæ illo capitulo recensentur, crediderunt Episcopi ab Ecclesiastica potestate exerceri potuisse.

Anno DCCC. Leo III. Pontifex Maximus ademptum Græcis Imperium in Carolum transfert.

Anno DCCCCIV. Joannes IX. Lambertum & Berengarium coactâ Romæ Synodo de Imperio contendentes audit, & causâ examinatâ Lamberto Imperium addicit, Berengario, quod me: u egisset, in ordinem redactò. *Vide c. 6. Synodi Ravennat. sub Joanne IX. Baronium & Spondanum ad hunc annum. Sigebertum ad annum DCCCIII. ubi scribit, huic Synodo 73. Episcopos, interfuisse & Francorum Archiepiscopos. Imperavit Lambertus ad annum DCCCX. eique per insidias ab Hugone Comite Mediolanensi occiso, Berengarius Anno DCCCXV. suffectus, coronatusque à Joanne X. Pontifice Maximo, quòd contra Saracenos auxilio Christianis fuisset; & ipse à suis obruncatus est ob evocatos in Italiam Hunnos contra Rodolfum electum Francorum Regem, à quo acie superatus fuerat. (a)*

Anno MLXXIX. Cùm Boleslaus Poloniæ Rex Beatum Stanislaum Cracoviensem Episcopum ad aras cæcidisset, à Gregorio VII. Pontifice Maximo, re maturè agitâtâ, diris percussus est, Regno omniq; dignitate privatus: quam sententiam Deus ipse probavit Rege infaniâ correpto, & à canibus lacerato. *Vide Longinum in Polonica Historia, cujus inter alia hæc verba sunt: Tam lugubri, & crudeli in Sanctum DEI per Boleslaum Polonia Regem occisione ad notitiam summi Pontificis perlatâ, Ipse Pontifex maturâ deliberatione tempus terrens, tandem generale interdictum in universam Gnesnensem observari præcepit, Regem insuper Boleslaum & Polonia Regnum omni honore dignitate & excellentiâ Regali privavit, & omnes Principes & subditos ab ejus ditione absolvens obedientiam & subjectionem solitam exhibere vetuit. Vide Baronium ad annum MLXXIX. n. ultimo. Idem fatetur in suo Dictionario Morerus v. Pologne §. le gouvernement de Pologne. Fuit verò Gregorius VII. Sanctitate*

(a) V. Luitprandum lib. 2. c. 14. Sigonium de Regno Italiæ lib. 6. ad annum DCCCCXV. Spondanum ad eundem Annum,

Citate & miraculis celeberrimus, inter quæ illud non ultimum, quod post 500. ferme annos incorruptum ejus corpus duraverit: estque inter Sanctos relatus. Ejus in exilio morientis hæc ultima vox fuit: *Dilexi justitiam & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Vide Leonem Ostien: *lib. 3. c. 64.* Auctorem vitæ D. Anselmi Episcopi Lucensis, Ottonem Frising. Baronium & Spondanum ad hunc annum. Ludovicus Moretus in suo dictionario Gallico, quod Regi Christianissimo dedicavit, inter alia de Gregorio VII. sic loquitur: *Mortuus est Salerni non sine odore sanctitatis, habeturque inter Pontifices, omnium, qui Ecclesiam gubernarunt, clarissimus.* Otto Frisingensis hoc elogio Gregorium ornat *lib. 6. c. 36. in fine.* Porro Gregorius Salerni manens appropinquante vocationis suæ tempore dixisse fertur: *Dilexi justitiam & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Quia ergo in Principe suo Regnum ab Ecclesia præcisum graviter percussum fuit, Ecclesia quoque tanto pastore, qui inter omnes Sacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui Zeli, & auctoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit.

Anno MLXXIX. Idem Gregorius VII. varijs Episcoporum Galliarum querelis contra Philippum Francorum Regem pulsatus, quod sacerdotia pretio venderet, eandemque ob causam nollet Episcopum Matisconensem admittere, ad Rodericum Cabilonensem Episcopum, Regique præcharum scribit; *Moneat Regem tam turpi mercimonio quaestus, abstat; Episcopo Matisconensi legitime & Regio etiam nutu electo, negotium & moras ne faciat, alioquin censuris feriendum Regnoque casurum: Verba Pontificis sunt lib. 1. epist. 35.* Quod si facere noluerit, indubitanter noverit, nos hanc Ecclesia ruinam nequaquam diutius toleraturos, nam aut Rex ipse repudiato turpi Simoniaca hæresis mercimonio idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permittet, aut Franci pro certo, nisi fidem Christianam abjicere maluerint, generalis anathematis mucrone percussi illi ulterius obtemperare recusabunt, &c.

Paruit Philippus monenti Gregorio, missisque Legatis in ejus se potestate futurum respondit. *Vide lib. 1. epist. 35.*

V. Anno M. Silvester II. Pontifex Maximus S. Stephano Hungariæ Duci jus & dignitatem Regiam concedit, & Hungariæ Ducatum Regni juribus donat. Auctor est Cartuius Episcopus in vita S. Stephani ad Colemannum Regem apud Surium die 20. Augusti, qui inter alia: *Quarto à Patris obitu Stephanus Astricum Præsulem ad SS. Apostolorum limina misit petiturum, ut recens converſa Pannonia largam benedictio-*

nem impertiret, & ipsum Ducem Regio diademate cohonestaret, & ut eo fultus honore, qua Divina gratia adjutorio cœpisset, ea magis magisq; promovere posset.

Anno MLXXVI. Gregorius VII. per suos Legatos habitâ Synodo Salonæ in Dalmatia Demetrium Croatia, Dalmatiæque Ducem Regem coronat, juribus Regni Dalmatiæ concessis; & annuo tributo, quod Rex sponte obtulerat, accepto. Vide hujus rei monumentum ex Vaticana Bibliotheca apud Baronium ad hunc annum n. 66. Ad cujus finem Demetrius sic loquitur: Ego Demetrius, DEI gratiâ, Apostolica Sedis dono Rex, ab hac hora, ut antea sancto Petro, & Domino meo Papæ Gregorio, suisq; successoribus canonicè intransibus ero fidelis, &c. Regnum autem, quod mihi per manum tuam Domine Gebizo (legatus erat Pontificis Gregorij) traditur, fideliter retinebo. (a)

Anno DCCCXXXIII. Synodus Episcoporum Compendij habita, in qua Ludovico Pio Caroli M. filio Imperium ademptum, ejusque filio Lothario datum, quod ubi Gregorius IV. Papa intellexit, damnatis falsis criminationibus Galliæ Procerum, quibus legitimum Principem oneraverant, Decretum abrogationis rescidit. Testis est Æmilius lib. 3. rerum Franciæ. in vita Ludovici Pij fol. 81. ubi: Lugduni Concilium Episcoporum, quos filij Reges contraxerant, habitum, Imperiumq; Patri abrogatum: quod Decretum mox à Gregorio Pontifice Maximo rescissum est, & audacia Archiepiscopi Lugdunensis multata, ex Sede enim dejectus est. Vide etiam Spondanum ad hunc annum.

VI. Anno MLXXVI. Gregorius VII. Henricum IV. Germaniæ Regem in Synodo Romana, quòd Sacerdotia, & Ecclesiasticas dignitates mercatui exponeret, quòd subditorum facultates prædaretur: quòd appellationes ad sedem Apostolicam impediret; quòd habito Wormatiæ Conventu ausus esset in Gregorium sententiam dicere, eumque Papatu exuere: & denique ob alia multa flagitia excommunicat, Regnoque indignum pronuntiat, & subditos juramento liberat: sententia sic habet. Beate Petre Apostolorum Princeps inclina, quaesumus, pias aures tuas nobis, & audi me servum tuum, quem ab infantia nutriti, & usque ad hunc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt, & odiunt, &c. Hæc itaque fiducia fretus pro Ecclesia tua honore, & defensione ex parte omnipotentis DEI Patris, & Filij, & Spiritus Sancti per tuam potestatem & auctoritatem Henrico Regi, qui

(a) Vide etiam Spondanum ad hunc annum.

contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius Regni Teutonicorum & Italia gubernaculo contradico, & omnes Christianos à vinculo juramenti, quod sibi fecere & faciunt, absolvo, & nullus ei sicut Regi seruiat, interdico. Nec omisit Gregorius dictæ in Henricum sententiæ omnes Principes Germaniæ admonere: à quibus Conventu Triburiam indicto, de alio Rege consultatum. Venere ab Henrico Legati, præterita excusantes, & in futurum omnia spondentes: quibus teste Lamberto Schafnaburgensi istorum temporum scriptore, Monacho Hirsfeldensi à Principibus in hæc verba responsum: *Cum ab Ecclesia corpore propter flagitia sua Apostolici anathematis mucrone præcisus sit Imperator, & ei communicare sine fidei iactura non possimus, cum fidem nostram multis apud DEUM Sacramentis implicitam Romanus Pontifex Apostolica auctoritate explicuerit, extrema profecto dementia esset, divinitus oblatam salutis occasionem non obvijs manibus excipere; quapropter immobiliter animo fixum tenemus, ut absque ulla dilatione virum nobis provideamus, qui præcedat nos, & præletur bellum Domini ad expugnandam & destruendam omnem cuiuscunque hominis altitudinem elevantem, & extollentem se adversus justitiam & sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem.*

Henricum postea genio suo & flagitijs redditum, Germaniæ Proceres in ordinem tandem redigunt, & Rudolfum Sueviæ Ducem Regem appellant. Huic à Gregorio diadema missum cum inscriptione: *Petra dedit Petro: Petrus diadema Rudolfo.* Vide lib. 4. Epist. 3. qua habentur tomo 3. Concilior. ante Concil. Roman. 1. Lambertum Schafnaburgensem ad hunc annum, Abbatem Urspergensis ad annum MLXXV. qui ultimus recitat epistolam Gregorij VII. ubi inter alia: *Post datam reconciliationem, solam, inquit, ejus communionem reddidi, non tamen in Regno, à quo eum in Romana Synodo deposueram, restauravi. Episcopi verò & Principes Ultramontani audientes illum non servare, quod mihi promiserat, quasi desperati de eo, sine consilio meo elegerunt sibi Rudolfum in Regem.* Vide Spondanum ad hunc annum.

Anno DCCCVIII. Rex Nordhanhumborum à suis Regno pulsus, auctoritate Leonis III. & potentia Caroli M. solio restituitur: testis Aimoinus, vel potius Adelmus in *annalibus Regum Franciæ*, ubi: *Interea, inquit, Rex Nordhanhumborum reductus est in Regnum suum, & Legati Imperatoris atque Pontificis reversi sunt.*

Anno MCLXVI. cum Fridericus Aenobarbus in Italiam cum exercitu movisset, incendijs & rapinis omnia vastaret, Gui-

donem Antipapam Alexandro III. opponeret, armisque muniret; adsunt Constantinopoli ab Emmanuele Comneno Imperatore Legati, unionem cum Ecclesia Romana, ingentemque vim auri, & auxiliorum spondente, si Pontifex Maximus Imperium Occidentis Græco restitueret. Adi ipsius Alexandri acta ab auctore illius temporis edita apud Baronium *ad hunc annum. n. 17.*

Idem testantur Blondus *Decade 2. lib. 5.* Nauclerus *in Chronico volum. 3. generat. 39.* Platina *in Alex. III.* Spondanus *ad hunc annum.* Repetit Legationem & munera Comnenus iterum pro Imperio supplex Anno MCLXX. Sed re infectâ munera cum Legatis à Pontifice remissa. Vide Spondanum *ad hunc annum:* & acta ipsius Alexandri, quæ inter alia hæc habent: Interea Emmanuel Magnus Constantinopolitanus Imperator, cum videret Fridericum Ecclesiam Romanam, & Alexandrum Papam vehementer cum Schismaticis impugnare, & persequi, misit Imperij Apocryfarum cum immensa multitudine pecuniarum ad præsentiam ipsius loquentem hæc verba: Dominus Imperator, cum videat Fridericum Imperatorem Romana Ecclesia advocatum acrem esse illius impugnatorem, & persecutorem, magis vult eidem Ecclesia servire atque succurrere: unde rogat & postulat, quatenus prædicta Ecclesia adversario Imperij coronâ jam privato sibi eam, prout ratio est & justitia exigit, restitueret, &c.

Anno MCLXVIII. Idem Alexander III. Fridericum Æno-barbum pertinacissimo schismate belloque, Italiæ, Ecclesiæ, Pontifici omnibus infestum, sacris & Imperio interdicit. Testis est Joannes Saresberiensis Episcopus Carnotensis & B. Thomæ Martiri amicitia conjunctissimus, qui *lib. 2. epist. 84.* quam dedit ad Joannem Cantia Subpriorem, hæc scribit: Cum enim Romanus Pontifex per patientiam Teutonicum Tyrannum diutius expectasset, ut vel sic provocaretur ad poenitentiam, & ille abutens patientiâ ejus peccata peccatis adderet, Vicarius Petri à Domino constitutus super gentes & super Regna, Italos & omnes qui ei ex causa Imperij jurisjurandi religione tenebantur adstricti, à fidelitate ejus absolvit, abstulit ei etiam Regiam dignitatem, & inhibuit auctoritate DEI, ne vires ullas in bellis habeat, aut aliquam victoriam consequatur, &c.

Vide Spondanum & Morerum *in vita Alexandri.* Fridericus tandem infortunijs fractus, tædioque obstinati schismatis ad decem & octo annos producti, pacem cum Alexandro Venetijs inivit, transmissoque mari contra infideles, ingentibus prælijs & victorijs functus, dum in Cydno amne lavat, infelici casu aquis præfocatur.

VII. Anno MCLXXIX. Alfonsus I. Dux Portugallia ab eodem Alexandro III. ob res adversus Arabes præclare gestas jura & titulum Regis accipit, & annum censum Romanæ Ecclesiæ statuit. Vide Spondanum & Baronium ad hunc annum, qui ultimus recitat Innocentij III. epistolam ad Sancium Regem Portugallia in hæc verba: Innocentius, &c. Nos attendentes tuam personam ornatam prudentiâ, justitiâ præditam, atque ad Regni gubernationem idoneam, eam sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & Regnum Portugallense cum integritate honoris, Regni, & dignitate, qua ad Reges pertinet, necnon & alia loca, qua de Saracenorum manibus eripueris, in quibus jus sibi non possunt Christiani Principes circumpositi vindicare, ad exemplar Alexandri Papa, qui hac avo tuo per privilegi legij paginam concessisse dignoscitur, tua sublimitati concedimus & auctoritate Apostolicâ confirmamus, & hæc ipsa heredibus tuis duximus concedenda, eosq; super ijs, qua concessa sunt, pro injuncto nobis Apostolatus officio defendemus. V. Innocent. lib. 1. epist. 144. & 151.

Anno MCCX. Otto IV. Imperator, cum Friderico juniore Regi Neapolitano, totique Italia bellum inferret, nec à Pontifice admonitus cœptis absteret, ab Innocentio III. anathemate perstringitur, Imperio arceatur, permissuque Pontificis idem Fridericus Henrici V. Imperatoris filius à Germania Principibus throno imponitur. Urspergensis in Chronico, Nauclerus, Spondanus, & Bzov. ad hunc annum. Verba Abbatis Urspergensis sunt: Sanè ne tanta turbatio fieret in Ecclesijs & populo Christiano, voluit Dominus Papa sustinere omne damnum, quod sibi Imperator in terris Ecclesia Romana injulisset, aut inferret, hanc formam compositionis, cum recusasset Imperator admittere, Dominus Papa tanquam vir animosus & confidens in Domino tria ardua negotia simul explere disposuit. Anno enim Domini MCCXII. laboravit super depositione Ottonis Imperatoris, quod fuit arduum negotium, &c.

Anno MCCXXXIX. Gregorius IX. Fridericum II. Imperio & sacris interdicit. Idem postea solemniter in Concilio Generali Lugduni Anno MCCXLV. ab Innocentio IV. repetitur. V. Blondum, Platinam, Spondanum, ad hunc annum, ubi: Inter Gregorium, inquit, Pontificem & Fridericum Imperatorem publicatur toto Orbe dissidium, & diverso utriusq; diplomate excommunicatur Fridericus, & Imperio privatus declaratur. Scriptorum fides in tanto animorum motu vacillat, pluribus tamen & aquiribus Fridericum summa ingratitude, in Ecclesiam Romanam impietatis, multorumq; scelerum damnantibus.

Anno

Anno MCCLXXIII. Gregorius, inquit Spondanus, mandat Principibus Germanis, ut tandem Imperatorem creent, nisi velint, aliquem à se imponi. Convenientes igitur Francofurti primùm Ottocaro Regi Bohemia Imperium deferunt, sed recusante eo, consensum est in Rudolphum Comitem Habsburgensem armis & consilio potentem.

Morerus in vita Rudolphi confirmatam fuisse à Gregorio X. electionem Rudolphi Habsburgensis testatur. Operâ ergo Sanctissimi & miraculis clarissimi Pontificis in domum Austriacam devenit Imperium pietate Rudolphi partum, pietate productum, pietate, quod omnes boni sperant, optantque duraturum. Scribit idem Morerus, Rudolphum magnâ vi auri acceptâ Italiæ, quæ Imperio adhuc serviebat, libertatem dedisse. Auctor paralipomenon ad Chronicum Urspergensis: Anno, inquit, Domini MCCLXXXIII. Rudolphus Comes Habsburgensis Landgravius Alsatia post longam vacationem Imperij & civilia bella, communi voto principum electus in Imperatorem Germaniæ & Romanorum, à Papa confirmatus fuit, &c.

Platina in Gregorio X. Gregorius, inquit, ñer in Italiam faciens absoluto Lugdunensi Concilio obviam habuit Alfonso Castellæ Regem conquerentem, quod Imperium Rodulfo mandasset, verùm acceptâ Pontificis satisfactione jus omne suum Rodulfo concessit.

Meminit ejusdem Alfonso Imperium à Pontifice postulantis Mariana lib. 13. c. ult. ubi Alfonso in confesso procerum sic loquentem inducit: Nunc filio in patria relicto, gemina jam prolis patre, Imperium te auspice atque adjutore Gregori Pontifex maxime capessimus, inane quidem & sine proventu nomen, sed publicum Hispaniæ decus respicere, nostramque ignominiam depellere cogimur, quod utinam sine armis prestare possimus, alioquin quodcumque periculum retinendi honoris studio subire est animus.

VIII. Anno MCCCVII. Interfecto Alberto Imperatore Philippus IV. Galliæ Rex cognomento pulcher, collatis cum Senatu capitibus, solemniter ad Clementem V. Legatione tunc in Gallijs agentem, Imperium sibi, vel Carolo fratri suo petit: Sic enim à Francis in Germanos dilapsum Imperium ad Francos rediturum: inter alias rationes hæc etiam producta: Cui enim, inquiebat Rex, fiat injuria, si vacantis Imperij conditio permutetur? Idem fecerunt olim Pontifices alij. Sed Clemens Philippi potentiam veritus, si Imperio augetetur; & iram si offenderet, deliberaturum se dixit: clam interim monet Electores, qui Comitem Luxemburgensem Henricum

cum VII. Imperatorem dicunt: electio à Senatu confirmata. Rem accuratè scribit Conradus Vecerius *in lib. de gestis Henrici VII.* Bzovius *ad hunc annum n. 6.* Æmilius *in Philippo pulchro*, qui tantùm electionis confirmatæ à Pontifice meminit.

Agnovit ergo Gallia Rex, regiusque senatus, esse aliquam Pontifici in Reges & Imperatores potestatem, quam implorarent.

Anno MCCCX. Clemens Papa V. Venetos, quò occupassent Ferrariam, sacris interdicit, eorumque bona ubique terrarum primò occupanti exponit, excitatis etiam in eos sacri belli militibus. A quibus victi Veneti veniam Avenione deprecantur per Franciscum Dandalum ad pedes Pontificis ad hoc prostratum. Spondanus *ad hunc annum.* Sabellicus *Ennead 9. lib. 8.* Bzovius *ad annum MCCCIX.* Platina *in vita Clementis V.* Quo teste, Galli præsertim hanc sententiam Clementis non tantùm non improbârunt, sed etiam impigrè sunt executi: sic enim Platina *in vita Clementis* prope initium scribit: *Quamobrem Gens ipsa (Veneri) mercatura admodùm dedita, in Anglia & in Gallia maxima incommoda perpessa est.*

Anno MCCCCXX. Martinus V. in Joannam Reginam Neapolitanam armat Sfortia Ducem, transfertque jus Regni in Ludovicum III. Andium Ducem. Spondanus & Pandolphus *ad hunc annum*

IX. Anno MDXII. Julius II. excommunicat Joannem Alibretanum, ejusque Regnum primò occupanti donat, quò Alfonso Ferrariæ Duci & Ludovico XII. Regi Gallia opem tulisset. Hæc origo Navarrici Regni ad Ferdinandum V. Aragonia Regem & Hispanos delati. Joanna Alibreta Navarra Regina odio Pontificis, & Hispanorum, Catholicam Religionem ejurat, vocatis qui Henricum Borbonium unicum filium Calvinismo erudirent. Ab hoc in Reges Gallia provinciæ aliquot Navarrici Principatus derivatæ. Negant quàm plurimi à Julio II. jure id factum. Vide Spondanum *ad annum MDXII.* & libellum Gallicum, cui titulus, *Interests des Princes* fol. 62.

Anno MDXXXIV. Clemens VII. in Henricum Anglia Regem diras pronuntiat, & Regnum abrogat, quò Catharinam legitimam uxorem repulisset, Bolenâ in thalamum admisâ: quò Cardinalem Roffensem, & Morum primæ venerationis capita præcidisset; quò innocentium sanguine Angliam inundasset, non

alterius culpæ quàm Religionis Catholicæ reos: quòd cœnobîa, Religiosos, Ecclesias omnes igne ferro, spolijsq̃ue fœdâsset: quòd postremò D. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem tot annos jam vitâ functum, & miraculis clarum in jus citâsset, sacrosq̃ue cineres in aquas sparsisset. Sunt, qui Pontificem arguant anathematis præcipitati nuntio post biduum apparente, qui litteras obsequij plenas à Rege deferebat. Sed plus satis expectatum; nec prius ad extrema devenitum esse, quàm spe omni consumptâ, scribit Palavicinus in *hisl. Conc. Trid. lib. 4. cap. 7. & lib. 3. cap. 15.* Vide Morer. in *vita Henrici VIII.*

Anno MDLXIII. Inter alia documenta, quibus Vicecomitem suum in Hispaniam nuntium Pius IV. instruxit, illud etiã à Palavicino *lib. 24. Hisl. Concil. Trid. c. 1. n. 3.* Regem doceret de affixo libello, quo Regina Navaræ in jus vocabatur, sex mensium spatîo ad se purgandum concessò, quo elapso eam regno privatum iri.

Anno MDLXIX. Pius V. Elisabetham Reginam execratus, diris perstringit, Regnumq̃ue Angliæ proscribit. Spondanus *ad hunc annum.* Eadem proscriptio à Sixto Pontifice Maximo repetita, de qua vide Thuanum *lib. 89. ad annum MDLXXXVII.*

Anno MDLXX. Idem Pius V. Cosmum Mediceum Ducem Florentiæ, Magni Ducis Hetruriæ titulo honorat, non sine aliqua aliorum Principum obtrectatione. Spondanus *ad hunc annum.*

Anno MDLXXXV. Sixtus V. Pontifex Maximus Henricum Navaræ (postea magnum Galliarum Regem) hæreticum declarat, & Gallie Regno inhabilem. Verba sunt Spondani ad hunc annum, qui subdit: Hinc verò gravissimum ortum est bellum, & inaudita rerum confusio, atq̃ animorum dississio secuta, quæ nobilissimum ac Christianissimum Regnum haud dubiè in extremam perniciem deduxissent, nisi idem ipse, à quo destructio timebatur, potentè tandem manu restitutionem operatus esset.

Anno MDXCI. Gregorius XIV. Eundem, inquit Spondanus, Henricum Regio nomine indignum pronuntiat, & adversus eum in Gallias exercitum mittit.

Anno MDXCIII. Confederati Gallie, inquit Spondanus, occasione potestatis sibi à Clemente Pontifice factæ eligendi Regis, qui Catholicus esset, comitia Parisijs celebrant, sed ingenti confusione, cum plurimi exteri promoveri cuperent: quando & felix ille illuxit dies, quo Henricus divinitus illustratus, & rationibus Catholicorum apprime imbutus, abjuratâ hæresi Religionem avitam

amplexus est, misitq; Romam Ducem Nivernensem, qui absolutionem à Clemente VIII. impetraret. Vide etiam Thuanum lib. 106.

Hactenus pauca ex plurimis exempla defloravimus, quibus omnium propè à Gregorio Magno sæculorum decursu, usq; probatum est, etiam Regnis, Imperijsque Summos Pontifices, cum Religio id posceret, legem dedisse juxta illud *Jeremia. Ne formides à facie eorum, ego quippe dedi te in civitatem munitam & in columnam ferream super omnem terram Regibus Juda, Principibus ejus, & sacerdotibus & Populo terra: & bellabunt adversum te, & non pravelebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te: Ecce constitui te hodie super gentes & super Regna, ut evellas & destruas, & disperdas, & dissipes & adifices, & plantes.* Et quamvis aut imprudentiâ, aut abusu peccatum aliquando sit; id tamen omni humanæ potentie commune est, quam si propterea proscriptam velis, quia excessit, quam nobis reperies à culpa immunem? Oportebit ergo omnem tolli potestatem, pejori, quam sit malum, remedio. Et si Pontificum, qui hac in Reges usi sunt auctoritate, Sanctitatem consideres & doctrinam (quales sunt Gregorius Magnus, Zacharias I. Stephanus III. Gregorius II. Gregorius X. Leo III. Pius V. omnes inter Sanctos Beatosve relati) negari haud potest, noluisse eos aliena invadere, suis tantum juribus contentos armatosque. Nunc ab exemplis ad testes procedamus.



S. XVI.

Testes pro eadem Sententia.

SUMMARIUM UNICUM.

Sententia SS. Gregorij Magni, Thomæ Doctõris Angelici, Bonaventuræ Seraphici, S. Antonini, Joannis Gersonis, Doctõris Christianissimi Petri Blesensis, S. Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis, S. Bernardi, Cleri Gallicani, aliorumq; Doctõrum remissivè.

Primus testis S. Gregorius M.

BEati Gregorij Magni quanta fuerit modestia, Regumque veneratio, orbe toto notissimum est, ut proinde nihil minus credi possit, quam voluisse tantâ moderatione Pontificem egredi terminos potestatis à DEO sibi traditæ. Et hic tamen in privilegijs Monasterio Sveffionensi S. Medardi & Ecclesiæ S. Martini concessis, non dubitavit Reges privilegiorum in vasa coërcere, & Regnis interdicere, ut supra ostendimus, nec libet repetere. Videatur interim Gregorius VII. *lib. 8. Epist. 21. quæ habetur in tomis Conciliorum tomo 3. p. 2.*

Secundus testis S. Thomas Doct. Angelicus.

Multa sunt, quæ D. Thomæ doctrinam, apud Gallos præsertim, omni exceptione majorem reddant: quod è cælo potius quàm litteris, & studio quæ sita: quod summæ humilitati & modestiæ conjuncta: quod Parisijs ab eodem S. Doctore diu magnoque cum plausu audita & excepta: quod in omnibus scholis, Universitatibus, omniumque Doctorem assensu præcipuâ veneratione, & ante alias culta: quodque majus est, ipsius Christi Domini oraculo sacrata: quod non à doctissimo tantum, sed etiam sanctissimo calamo profecta, aded ut ad maximas dignitates summoque merito vocatus, eadem constantiâ oblatas spreverit, quâ alij non oblatas ambiunt: quod denique Gallias aded dilexerit, ut illic & cathedram vivus, & tumbam mortuus legerit. Hæc omnia liberum affectibus animum convincunt, nihil ab illo præmij, aut adulandi causâ, nec partium studio scriptum esse, sed veritatis tantum. Et ne fortè quis dicat, Beatum istum scholis, & solitudini addictum aularum jura & Principum ignorasse, exstant accuratissimi libri de Regimine Principis ab eodem conscripti, in quibus aded Principum arcana, artesque regnandi complexus est, ut possis dicere nihil exquisitius, regnisque moderandis aptius ab alio dici potuisse, qui in senatu, aulisque consenuisset. Meritò proinde Urbanus V. in Bulla *LAUDABILIS DEUS* ad Tolosanam Academiam scribens, *Ut D. Tho-*

Thomæ doctrinam tanquam veridicam & Catholicam sectetur, totisq; viribus promovere studeat, injungit. Et Joannes Baptista Gonetus in præiudicijs Tomi I. testatur, Burgundensem, & Avenionensem in Gallijs cathedras D Thomæ doctrinam ex professo & juramento tueri.

Audiamus ergo, quid S. Doct̃or senserit, scripseritque.

Sic ergo 2. 2. q. 12. a. 2. in corpore loquitur: Ad Ecclesiam non pertinet punire infidelitatem in illis, qui nunquam fidem susceperunt, sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quod subditis fidelibus dominari non possint. Hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem, quia homo Apostata pravo corde machinatur malum, & jurgia seminat, intendens homines separare à fide. Et ided quàm citò aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter Apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à Dominio ejus & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.

Et eodem articulo ad I. Dicendum quod illo tempore (Juliano imperante) Ecclesia in sui novitate nondum habebat potestatem terrenos Principes compeſcendi, & ided toleravit fideles Juliano Apostata obedire in his, quæ nondum erant contra fidem, ut majus periculum fidei vitaretur. Et 2. 2. q. 60. a. 6. ad 3. Dicendum, quod potestas secularis subditur spiriuali, sicut corpus anima. Et ided non est usurpatum judicium, si spiriualis Prælatus se intromittat de temporalibus, quantum ad ea, in quibus subditur ei secularis potestas, vel quæ ei à seculari potestate relinquuntur.

Idem docet in secundum sententiarum distinctione 44. q. 9. a. 2. & in 2. ad Corinb. c. 11. lect. 2. & in epist. ad Philipp. circa finem.

Et opusculo 20. de Regimine Princip. lib. 3. cap. 10. Propter quod oportet dicere, in summo Pontifice esse plenitudinem omnium gratiarum, &c. Quod si dicatur ad solam referri spiriualem potestatem, hoc esse non potest, quia corporale & temporale ex spiriuali, & perpetuo dependet, sicut corporis operatio ex virtute anima. Sicut ergo corpus per animam habet esse, virtutem & operationem, ita & temporalis jurisdictio Principum per spiriualem Petri & Successorum ejus, cujus quidem argumentum assumi potest per ea, quæ invenimus in actis, & gestis Summorum Pontificum & Imperatorum, &c. Et c. 17. eodem lib. quod vide. Et c. 19. Et tunc, inquit, diversificatus est modus Imperij, quia usque ad tempora Caroli in Constantinopoli in eligendo servabatur modus antiquus, aliquando enim assumebantur de eodem genere, aliquando aliunde, aliquando per Principem fiebat electio, aliquando per exercitum: sed instituto Carolo cessavit electio, & per successionem assumebantur de

eodem genere, ut semper primogenitus esset Imperator, & hoc duravit usque ad septimam generationem, quâ etiam deficiente tempore Ludovici, cum Ecclesia vexaretur ab iniquis Romanis, advocatus est Otto I. Dux Saxonum in Ecclesia subsidium, liberatâque Ecclesiâ à vexatione Longobardorum, & impiorum Romanorum, ac Berengarij Tyranni, in Imperatorem coronatur à Leone VII. genere Alemanno, qui & Imperium tenuit, usque ad tertiam generationem, quorum quilibet vocatus est Otto. Et ex tunc, ut historia tradunt, per Gregorium V. genere similiter Theutonicum provisa est electio, ut videlicet per septem Principes Alemannia fiat, &c. & tantum durabit, quantum Romana Ecclesia, quâ supremum gradum in Principatu tenet, Christi fidelibus expediens judicaverit, in quo casu, ut ex Verbis Domini est manifestum, videlicet pro bono statu universalis Ecclesia videtur Vicarius Christi habere plenitudinem potestatis, cui competit dicta proviso ex triplici genere, &c. Pergit S. Doctor ex professo id probare, quem vide.

Tertius testis S. Bonaventura Doct. Seraphic.

ET hunc Doctorem cum admiratione plausuq; Gallia docentem laudavit, quando Parisijs Theologiam publicè legit, dictavitq;. Tanta integritatis illi & innocentiae apud omnes aestimatio, ut ejus arbitrio Pontificis Maximi electio permetteretur, elegitque Gregorium X. à quo purpuratis adscriptus. Lugduni mortuus conditusque, ubi illius sacrum caput summâ veneratione colitur, reliquo corpore ab hæreticis in aquas sparso; ut adeò hujus sancti Patris sententia & doctrina, Gallis oraculum esse debeat, apud quos, & cathedram, & tumbam, & aras delegit, præsertim ob excellentissimam in rebus theologicis sapientiam, paremque sanctitatem ab omni furo, & adulatione alienissimam. Sic ergo loquitur *Libro de Ecclesiastica Hierarchia p. 2. c. 1. Tomo 7. operum.* Patet igitur, quod dignitas Clericalis, quæ in sua radice considerata est penitus spiritalis, meritò est consona Ordini Dominationis, quæ sic præcedit alios inferiores ordines, quòd illos illuminat, perficit, purgat, & tamen ab illis non illuminatur, nec perficitur, nec purgatur: quia sicut spiritus dignitate & officio præcellit corpus, sic potestas spiritalis dignior est, quam secularis, & ideò bene sortitur nomen Dominationis. Unde Regalis potestas subjacet potestati & auctoritati spiritali, sicut in 1. Canonica Petri dicitur: Vos estis gens sancta, Regale sacerdotium, &c. Nam temporale Regnum velut quoddam adjectum subjacet Sacerdotio

tio in novo testamento, sed in veteri testamento Sacerdotium subsuit Regno, unde dicitur in exodo: Elegi Vos in populum peculiarem, in sacerdotale Regnum, &c. ubi Regnum ponitur substantivè, sed Sacerdotium adjectivè, & idè Reges tunc poterant amovere sacerdotes summos ab officio, sicut Salomon amovit Abiathar. 3. Reg. 2. Jam verò possunt sacerdotes & Pontifices ex causa amovere Reges & deponere Imperatores, sicut sapius accidit, & visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & Reipublica necessitas sic requirit. Summus verò Pontifex, penès quem prima in terris residet auctoritas, non à Rege, non à Principe seculari, non ab homine judicatur, sed solius DEI judicio reservatur: spiritualis enim homo judicat omnia, & à nemine nisi à solo DEO judicatur. 1. Corinth. 2. sed ut possint tales persona liberius spiritualibus vacare, ut nunc per verbi vitæ prædicationem, nunc verò per Sacramentorum ministracionem populum sibi subditum ad DEI formam similitudinem reformare, necesse fuit alios assumere in partem sollicitudinis, qui in diversis negotijs & causis eis assisterent, & onus eorum supportarent. Temporalia enim spiritualibus sunt annexa, & de facili spirituale officium impedirent, nisi causas & lites ex temporalibus orientes, aliqui per justitiam deciderent & desinrent. Idè dixit Fetro ad Moysen: Ultra vires est negotium, solus sustinere non poteris. Eslo tu populo in his, quæ ad DEUM pertinent, ut referas, quæ dicunt ad DEUM, ostendasq; ceremonias, & ritum colendi Deum, viamque, per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Provide ergo viros potentes & timentes DEUM, in quibus sit veritas, & oderint avaritiam, & constitue ex eis, qui judicent populum in omni tempore, leviusq; tibi sit parito in alios onere. Exodi 18. v. 6. Et tales sunt Decani, Præpositi, Archidiaconi & quicumque iudices sive ordinarij sive delegati, qui lites sopiunt & decident causas discordes ad concordiam revocant, & reducunt, & tales sua officia provide & viriliter exequentes conformitatem habent cum ordine Virtutum, qui sequitur ordinem Dominationum, nam sine virtute non potest tale expediri officium. Idem Seraphicus in 4. distinct. 37. in expositione textus dub. 4. Dicendum est, inquit, quod uterq; gladius, ut dicit Bernardus, est Ecclesia, sed differenter: qui est spiritualis, extrahendus est manu Ecclesia, sed materialis non manu, sed tantum nutu, &c.

Quartus testis S. Antoninus.

Hic notissima Sanctitatis, doctrinæque p. 3. Summa tit. 22. c. 5. S. 13. Imperator, inquit, est minister Papa, eo ipso quod est minister DEI, cujus

cujus vices gerit, juxta Apostolum ad Rom. 13. Est autem Principalis agentis eligere ministros & instrumenta ad suum finem, unde puto, quod Papa cum universos fideles in presenti Ecclesia ad pacem habeat ordinare, & ad spiritalem finem consequendum dirigere & destinare, justâ causâ & rationabili existente per se ipsum possit Imperatorem eligere, aut propter eligentium negligentiam, vel discordiam, aut propter populi Christiani, & pacis providentiam, aut propter coercendam hereticorum & paganorum audaciam & potentiam. Possit enim Papa fulcitum debet esse veritate, justitiâ & aequitate: non enim potest adversus veritatem &c. & infrâ: Potuit etiam Papa Electores Imperatoris instituire, & institutos mutare ex causa rationabili: sicut etiam Imperatorem electum potest non confirmare, & confirmatum deponere, &c. &c. Et infrâ: Item Papa posset providere de Imperatore per hereditariam successionem, quando videret populo Christiano pacem dari magis per hereditariam successionem Imperij. &c.

Quintus testis Joannes Gerson.

FLoruit Joannes Gerson circa annum MCCCCXII. Doctor, & Cancellarius Universitatis Parisiensis, cujus sapientia, & libertas admirationi fuit & venerationi Concilio Constantiensi, inter primos, magisque conspicuos Gallia Doctores habitus. Hic ergo p. 4. sermone de pace & unitate Græcorum consideratione. 5. Homines, inquit, per hoc, quod unicum principale caput habent ad tenendos ipsos tam in bonitate voluntatis, quam bonitate morali & spiritali, convenientius, & divinius se hoc modo in unitate tenent. Nec est ullo modo in præjudicium cujuscunque dominij temporalis vel spiritalis, sive Regum sive prælatorum. Hic sunt duo extremi errores: dicunt aliqui, homines Ecclesiasticos, Papam, vel alios non posse ullam tenere temporalitatem, vel jurisdictionem: alij dicunt terrenos dominos nullum prorsus jus habere in temporalitate: sed hoc verum non est, nec dicere oportet, omnes Reges vel Principes hereditatem eorum, vel terram tenere à Papa, ut Papa habeat superioritatem civilem, & juridicam super omnes, quemadmodum imponunt aliqui Bonifacio VIII. Omnes tamen homines Principes, & alij subjectionem habent ad Papam, in quantum eorum jurisdictionibus, temporalitate & dominio abuti vellent contra legem divinam, & naturalem, & potest superioritas illa nominari potestas directiva & ordinativa potius, quam civilis vel juridica.

Vides

Vides, Gersonem potestatem juridicam & civilem ac ordinariam Pontificibus negare, qualem videlicet habet Rex in suos subditos: Dominus directus in Vafallos &c. concedere tamen subjectionem Principum respectu Papæ, quando *jurisdictionibus, temporalitate, & dominio abutuntur: quam ipse vocat directivam & ordinativam, non casualem & extraordinariam.* Nec enim voluit Gerson, pro eo casu, quando abutuntur, excludere coercitivam; directivam enim (quæ declaratur, quid fieri debeat, aut non debeat) non tantum habet Papa, sed episcopus quilibet, etiam extra casum abusûs; nec aliam potestatem Pontifici negat Gerson, quam illam ordinariam, quam aliqui summo Pontifici etiam extra casum necessitatis concedebant. Et ideo Cardinalis Peronius apud Gramundum *lib. 1. Hist.* Gersonem pro hac sententia, quam defendimus, laudat,

Sextus testis Petrus Blesensis.

ET hic Gallus, Blesis videlicet natus, Bathoniensis in Angliæ Archidiaconus, eloquentiâ, & doctrinâ inter primos sui temporis floruit circa annum MCC. Hic *epistolâ 146.* in persona Eleonoræ Angliæ Reginæ Cælestinum Papam III. sic alloquitur: *Duo filij mihi supererant ad solatium, qui hodie mihi misera & damnata supersunt ad supplicium. Rex Richardus tenetur in vinculis, Joannes frater ipsius Regnum captivi depopulatur ferro & vastat incendijs &c.* Et infra: *Porro Princeps Apostolorum adhuc in Apostolica sede regnat & imperat, & in medio constitutus est judicarius rigor, illudq; restat, ut exeratis in maleficos Pater gladium Petri, quem ad hoc constituit super gentes & Regna. Christi crux antecellit Cæsaris aquilas, gladius Petri gladio Constantini, & Apostolica Sedes præjudicat Imperatoriæ potestati.*

Septimus testis S. Petrus Abbas Cluniacensis lib. 6. Epist. 28.

Cum Clericus quidam furti injustè damnatus Apostolicam Sedem appellasset, nec admissa fuisset appellatio: unum, quod habuit, unum quod potuit fecit: ad illud unum præcipuum & singulare oppressorum præsidium confugit, Apostolicum dico auxilium elegit, tabernaculum scilicet, quod est in umbraculum diei ab estu, terminum videlicet vel obicem Apostolica appellationis interposuit,

M m

quam,

quam, ut putabat, non liceret eis transgredi, sed frustra hoc speravit; nam post factam appellationem tota illa rerum ipsius rapina ab eis facta est, qua supra à me conscripta est. Addita est insuper verborum contumelia, qua apud Imperatores seculi reos Majestatis faceret, & poenâ ad minus capitali puniret. Sed quamvis Ecclesia non habeat Imperatoris gladium, habet tamen super quoslibet minores, sed & super ipsos Imperatores imperium. Unde ei sub figura prophetici nominis dictum est: Constitui te super gentes & Regna, ut evellas, & destruas, & disperdas & dissipes, & adifices, & plantes. Quare si non potest occidere, potest evellere. Si non potest occidere, potest destruere.

Octavus Testis S. Bernardus Abbas Clavallensis.

Nihil habuit Gallia hoc sancto divinius, nihil eloquentius: melle credas aut rosâ, non calamo aut atramento scripsisse. Natus est Fontanis in Burgundia Gallica Anno MXXI. miraculis, facundiâ, an verò Principibus componendis felicior, nescias. Dabimus elogium Baronij Cardinalis ad annum MCLIV. Verè Apostolicus vir, inquit, immo verus Apostolus missus à DEO, potens opere & sermone, illustrans ubiq;, & in omnibus suum Apostolatam sequentibus signis, qui apud Imperatores, & Reges aliosq; Principes pro omnium sublevatione atq; ipsorum Principum salute tot, & tanta peregit. Et qui dicendus sit totius Ecclesie Catholice ornamentum simul & fulcimentum, Gallicana verò imprimis Ecclesia prædandus sit summum decus, summa gloria, felicitas.

Hic ergo sanctus de potestate Pontificia sic loquitur lib. 1. de consideratione. cap. 6. *Mihi non videtur bonus estimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu Apostolicis viris non judicare de talibus (causis temporalibus) quibus datum est judicium in majora: quid ni contemnant de terrenis possessionibus hominum judicare, qui & Angelos judicabunt? Habent hæc infirma & terrena iudices suos, & Reges Principes terra; quid fines alios invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? non quia indigni Vos, sed quia indignum Vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis: denique ubi necessitas exigit, audi, quid sentiat non ego, sed Apostolus: Si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? Et lib. 4. c. 3. Quid tu denuo (alloquitur Eugenium Papam) usurpare gladium tentas, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: Convertite gladium tuum in vaginam: tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tuâ manu; evaginandus,*
alie-

alioquin si nullo modo ad se pertineret, dicenibus Apostolis: Ecce gladij duo hic; non respondisset Dominus: Satis est; sed nimis est. Uterque ergo Ecclesia, & spiritualis scilicet gladius, & materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exerendus est. Ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & jussum Imperatoris.

Testimonium nonum totius Cleri Gallicani.

Ecclēsia Gallicana non semel tantum, sed aliquoties, & clarissimè potestatem hanc Pontificiam agnovit, & professā est: in Synodo videlicet Pontigonensi, de qua Aimoinus rerum Francic. lib. 5. c. 33. & nos suprā. In Concilijs Generalibus Viennensi, Lugdunensi primo, & Constantiensi, in quibus adeò clarè mentem suam expressit Ecclesia Gallicana, ut ne à nobis quidem clariùs posset. Sed ut appareat non olim tantum, sed recentissimè hanc ipsam fuisse Gallicani Cleri doctrinam, describemus, quæ habet Bartholomæus Gramondus Sacri Regij Consistorij Senator, & in Parlamento Tolofano Præses lib. 1. Hist. ad annum MDCXV. fol. nobis 60. & sequentibus sub exitum anni MDCXV. Comitā videl. trium Galliarum Ordinum generalia Lutetiam fuisse convocata, hoc est, Cleri, Nobilitatis, tertijque Ordinis, qui ultimus Magistratibus subalternis & minore populo constat. In ipso Comitiorum ingressu, ortas statim inter Clerum, tertiumque Ordinem simultates. Clerus, inquit Gramondus, in caput Magistratuum petit abrogari novam legem, per quam officia ipsorum in heredes transibant, sub cautione tributi in singulos annos præstari soliti (Pauletam dicere per id temporis ab auctore subsidij) Id ubi tertij Ordinis Oratoribus agnitum, rati, ut res erat, peti Ordinem suum, statim proponunt thesim toties Clero obstrepente agitātam. Nullam esse potestatem in temporalibus supra Regiam, unig, immediatè DEO, debitam coronam à Gallis Regibus, nullis obnoxiam interdicitis, (Notentur ea verba) obstrepente Clero. Pergit postmodum narrare: de Summi Pontificis in Reges potestate pluribus actum, missosque communibus votis tertij Ordinis ad Clerum articulos tres, quorum hæc summa erat.

1. Sacrilegum esse Reges unctos DEI quolibet prætexu in necem dare.
2. Debitam immediatè uni DEO Regum in subditos potestatem.
3. Nullis Sedis Apostolica interdicitis subjacere Imperia Regum, subditosq, nunquam sacramento fidei exsolvi posse.

Consensit prima Clerus, immo perorante doctissimè Peronio

Cardinale thesin in tyrannicidas de fide esse respondit ex Decreto Concilij Constant. Sess. 5. Alteram de fide negavit, quamquam humanius, & historicè defendi possit. Difficultatem præcipuè movit articulus. 3. Vindicabat vir doctus Summi Pontificis in Regum scepra potestatem certis casibus; Probabat potestati Romana Sedis in Reges hæreticâ labe infectos subscripsisse, quotquot Calvinum ante theologica tractavere. Contrariam opinionem novam esse, Lutero & Calvino fautoribus nuper natam. Sacramento vinciri Reges Gallia, ubi inaugurantur pellendis regno suo hæreticis, si pejeraverint in hæresin ipsi degeneres, si fautores hæresiarcharum, si novi dogmatis assertores: deberi ultionem Vicario Dei, ad quem unum ex lege spectat perjuriæ pena. In eam sententiam exactis sæculis itum: iri & hodie passim toto Orbe Catholico, si Galliam demis. Ex hac tota Cardinalis Peronij, & Gramondi dissertatione vides Clerum Gallicanum (Ordo Ecclesiasticus, inquit Gramondus, perorante doctissimo Peronio) in ea sententia fuisse, ut crederet opinionem hanc potestatem Pontifici in Reges negantium novam esse, Lutero, & Calvino fautoribus nuper natam, cui veterum subscripsit nemo, recentiorum pauci: tanquam dogma politicum defendi posse ad summum: eo errore primam fuisse Henrico VIII. Anglia Regi viam in hæresim: ex injusto repudio justè condemnatum rebellasse contra judicem suum: non aliud præcinere thesin, quàm rebellionem in solum Petri. In contrariam sententiam exactis sæculis itum, iri & hodie passim toto Orbe Catholico, si Galliam demis, &c. Pergit verò Gramondus, quæ postea contigerunt, pertexere, cum videlicet Senatores Parlamenti in eandem cum tertio Ordine sententiam conspirassent, placitumque suum vulgassent: pro lege politicâ, Regnoque fundamentali habendum esse, quòd Rex Gallia neminem in temporalibus agnoscat.

Excanduit, inquit, Clerus, addito non eas esse Parlamenti partes, ut altro respondeat: Comitibus Gallia generalibus convocatis Regum omne jus translatum in ipsa; aded ut velut justitio indicto, cessare debeat Magistratus. Clerum & Nobilitatem convenire in eandem sententiam, nec ided contrariam opinionem valere, quia ita populus censet, duorum vota & calculos uni prævalere.

Hactenus in sua historia Gramondus. Jam prudentum quilibet facillè judicaverit, quam apud omnem posteritatem Conventui Parisiensi decorum futurum sit, eam propositionem tanto cum apparatu, curaque, immo gravissimis pœnis imperare, quam sub felicissimæ & gloriosissimæ memoriæ Ludovico XIII. Patres Gallicani

licani censuerunt : *Esse opinionem novam, Luthero & Calvino auctoribus natam, cui veterum nemo subscripsit, recentiorum pauci, qua Henrico VIII. via in haresim fuerit, qua apertam rebellionem praeinat in solium Petri, quam praealo datam, obtento à Rege diplomate, multatq; in Typographum, oblitteratam voluere, cui denique in iisdem comitijs omnino contrarium rotundè edixerunt, Sacramento videlicet Reges Gallia, ubi inaugurantur, pellendis Regno suo haeretici obstringi : si pejeraverint in haresim ipsi degeneres, si fautores haeresiarum, si novi dogmatis assertores, deberi ultionem Vicario DEI, ad quem unum ex lege DEI spectat perjurij pena. Quae omnia non sunt nostra, sed Ecclesiae Gallicanae verba apud Gramondum omni exceptione majorem. Subjungit postea laudatus Gramondus de Tridentino Concilio, expediatne in Gallia promulgari ; multa in utramq; partem vulgata praetereo. Eleganter & doctè Peronius Cardinalis pro Concilio : institère acriter contra Miro, & Savaronus, praevaluitq; Clero populus. Creditum tunc potuisse conciliari opiniones Cleri & populi facta quasi compensatione : Nempe si Clerus articulum tertij Ordinis admitteret negantem summo Pontifici jus esse in Regna, &c. Ergo eo temporis hæc propositio, Pontifex nullum jus nulloq; casu habet in Regna, erat popularis, & à Clero Gallicano pernegata, adeò ut Concilium Tridentinum desereri maluerint, quam cum populo componere, & in eam propositionem convenire ; eam tamen problematicè defendi patiebantur, quò auctoritati Ecclesiasticae & sæculari fieret satis, teste eodem Gramondo loco citato fol. 67.*

Jam alios Doctores audiamus. Alexander Alensis ex Ordine S. Francisci Anglus cognomento irrefragabilis p. 3. summa q. 48. membro. 1. a. 3. §. 2. in resolutione. Respondeo, inquit, secundum Hugonem de S. Victore, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, ut sit, & judicare habet, si bona non fuerit. Ipsa verò à DEO primùm instituta est, & cum deviat, à solo DEO judicari potest, sicut scriptum est : *Spiritualis dijudicatur omnia, & à nemine judicatur.* Inde est, quòd summa potestas Sacerdotalis, qualis est in summo Pontifice, non potest ab homine judicari, sed habet de omnibus judicare, & de personis, qua vita spirituali deputata sunt, ut universalliter sunt omnes personae Ecclesiasticae, & de personis, qua ad vitam terrenam deputata sunt.

Henricus Gandavenfis cognomento solemnus, Doctor Sorbonicus quodlibet. 6. q. 23. Christus secundum quod homo, caput est, & Monarcha, non tantum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, secundum quod

dixit ei Deus Pater in psalmo 2. Postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra. Propter quod dixit Apostolis suis: Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra; unde & de ipso dicit Dionysius cap. 5. Eccles. Hierarch. In ipso perficitur & completur omnis natura nostra hierarchica dispositio. Ipse autem tanquam homo peregre proficiscens in altum non absque regimine, & ordine in terris relinquere nos voluit, ne tumultuaretur juvenis contra senem, & contra sapientem satius, sed inferiores in donis, & naturalibus & gratuitis per superiores in ordine debito custodiret. Et mox de Pontifice summo loquens: Talis ergo Hierarcha, sicut vir spiritualis omnia judicat, & ipse à nemine judicatur, ut dicit Apostolus 1. ad Corinth. 2. v. 15. Judicat autem non solum in spiritualibus, sed etiam temporalibus, quia temporalia non nisi secundum spiritualia judicari debent, & regulari, dicente Apostolo 1. ad Corinth. Si Angelos judicabimus, quanto magis secularia? Glossa prima, de rebus saeculi semper enim, qui judicat de majori, ad ipsum sicut ad primum judicem debet reduci omne iudicium de minori, juxta illud c. per Venerabilem, qui filij sint legitimi, ubi dicitur: Cum major in spiritualibus tam providentia, quam auctoritas, & idoneitas requiratur, quod in majori conceditur, licitum esse videtur in minori. Iste Hierarcha primus post Christum super universam Ecclesiam Petrus erat, cui ambas claves tradidit, & duos gladios commisit, sic ut regimen universalis Ecclesiae, tam in spiritualibus quam temporalibus ad ipsum pertineret, juxta illud, quod dicitur dist. 22. c. omnes: Romanam Ecclesiam solus ipse fundavit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro aeterna vita clavifero, terreni simul & caelestis Imperij jura commisit, ubi dicit glossa: argumentum, quod Papa habet utrumque, gladium spirituale, & temporale.

Beatus Augustinus Triumphus quaest. 1. de potestate Ecclesiastica part. 1. art. 7. Papa gerit vicem Christi saltem quantum ad potestatem & jurisdictionem officij. In Christo autem planum est fuisse potestatem Regalem & Sacerdotalem, quod ostensum est. Primò in ejus Incarnatione: Secundò in ejus consecratione: Tertio in ejus passione & resurrectione: & art. 8. Bona temporalia & spiritualia ad tria possunt comparari. Primò ad eorum productionem: Secundò ad eorum ordinationem: Tertio ad eorum motionem & actionem, & secundum ista tria tribus rationibus ostendi in Papa esse potentiam super omnia.

Primò quidem propter eorum productionem, quia non ab alio producta sunt temporalia & ab alio spiritualia, ut Manichaei putaverunt: sed ab eodem Deo, à quo producta sunt spiritualia, ab eodem etiam producta sunt corporalia & temporalia: Papa ergo, qui gerit vicem DEI in terris, ex quo habet potestatem spirituale, habebit similiter potestatem temporalium & corporaliū.

Secun-

Secundo hoc patet propter eorum ordinationem: ordinantur enim ipsa bona temporalia & corporalia ad bona spiritualia tanquam organa, & tanquam instrumenta. Unde Philosophi posuerunt, quod sine exterioribus bonis, quorum fortuna putabatur Domina, non coningit esse felicem, & virtuosè operari. Componitur enim homo ex anima & corpore. Unde sicut ipsum corpus ordinatur ad animam, & est instrumentum ejus, mediante quo exercet operationes suas: sic ipsa bona temporalia ad bona spiritualia ordinantur mediante Papà. Papa ergo qui habet providere suis fidelibus de spiritualibus, habet eodem modo providere de temporalibus & corporalibus, sine quibus spiritualia in vita ista politica exerceri non possunt. Unde Apostolis dicentibus: Dimitte turbas, ut sibi emanent escas, dictum est: Non habent necesse, ite, date Vos illis manducare.

Tertio, hoc patet propter eorum motionem, & operationem; videmus enim, quod temporalia & corporalia moventur, & regulantur in eorum operationibus per ipsas intelligentias in tantum, ut Philosophi secundum numerum mobilium corporum posuerint numerum motorum, sicut patet. 12. Metaphysica. Istos etiam motores posuerunt omnes regulari & moveri ab uno motore primo, qui est DEUS. Augustinus etiam dicit: Omnem substantiam temporalem, & corporalem administrari per Angelos. Papa ergo, in quo est potestas spiritualis, habet per ipsam potestatem spiritualem similiter disponere & ordinare de temporalibus.

Illud ergo notatu est dignum, omnium scholarum Principes in nostram sententiam convenire: ex schola Franciscana Alexandrum Alensem, & S. Bonaventuram: ex Dominicana SS. Thomam & Antoninum: ex Augustiniana Antesignanum Ægidium, & Beatum Augustinum Triumphum: ex Carmelitana Joannem Baccinum: ex Carthusiana præcipuum Doctorem Dionysium: ex insigni celeberrimæque Sorbonica Henricum Gandavensem: ex Societate Jesu Franciscum Suarez, omnesque ejusdem Societatis Doctores.

Omnes etiam, qui ob doctrinam eminentem titulum aliquem, & elogium, maximæque eruditionis characterem sunt consecuti: Hugonem videlicet cognomento Magistrum: Alensem Irrefragabilem, Thomam Angelicum, Bonaventuram Seraphicum, Ægidium Fundamentalem, Mayronem Illuminatum, Gandavensem Solemnem, Baccinum Resolutum, Gersonem Christianissimum, &c.


Quamplurimos denique Sanctis adscriptos, v. g. S. Thomam, S. Bonaventuram, B. Ægidium Romanum, lib. de potestate Ecclesiastica, B. Augustinum Triumphum, S. Antoninum, S. Raymundum

dum *lib. 1. tit. de Hæreticis*. S. Gregorium Magnum, B. Joannem Ca-
pistranum *lib. de potestate Papæ. p. 2.*

Infiniti sunt denique, qui sentiunt nobiscum: aliquos tan-
tùm citabimus, quos Lector consulat. B. Ægidius Romanus *lib. de
potestate Ecclesiæ*. B. Augustinus Triumphus *lib. de potestate Ecclesiastica*.
Alexander Alensis *parte 4. q. 10. memb. 5. & 6.* Astensis *in summa 1. p.
lib. 2. tit. 64. art. 4.* Antonius Bonfin. *Decade 3. lib. 1.* Ægidius Bella-
mera *in c. alius, causa 15. q. 6. n. 2.* Alfonsus de castro *lib. 2. c. 7. de justa
hereticorum punitione.* Alfonsus Alvarez *in speculo c. 16.* Antonius Cor-
dubensis *lib. 1. questionarij q. 57. dubio 3.* Albertus Pighius *lib. 5. de Ec-
clesiastica Hierarchia c. 2. & 14.* Anton. Diana *p. 1. tract. 2. resolut. 121.*
Alexander de Elpidio *lib. de auctoritate S. Pontificis c. 9.* Augustinus
Barbosa *in c. per venerabilem. 13. qui filij sint legitimi.* Bartholus *in L. si
Imperialis. Cod. de legibus.* Baldus *in proëmio digesti veteris.* Cæsar Cardi-
nalis Baronius *Tomo 9.* Cyprianus Aragonensis *lib. de prima orbis sede.*
Durandus Episcopus *lib. de origine jurisdictionum q. 3.* Dominicus Soto
in 4. distinct. 25. q. 2. Dominicus Bannes *in 2. 2. q. 10. art. 10.* Didacus
Covarruvias. *in Regulam peccatum. p. 2.* Dionysius Carthusianus *de
Regimine polit. art. 19.* Franciscus Zabarella *tract. de Schism.* Franciscus
Victoria *de potestate Ecclesiæ. lectione 1. q. 5.* Ferdinand. Vasq. *lib. 1. illust.*
Franciscus Mayron *in 4. sentent. distinct. 19.* Gabriel Biel. *lect. 23. in Ca-
nonem Missæ.* Guilielmus Durandus *speculator in speculo lib. 1. tit. de
Legato.* Gabriel Bereria *de manu Regia prælect. 1.* Henricus Brito. *lib. de
potestate Papæ.* Henricus Ostiensis *in summa tit. de hæret.* Hugo de S.
Victore *lib. 2. de Sacramentis.* Henricus de Gandavo *quodlibeto 6.*

Patres Jesuitæ ferè omnes, Robertus Bellarminus *de potestate
Papæ in controversiis.* Azor. *Tomo 2. lib. 4. c. 9.* Suarez *de legibus lib. 3. c. 22.
& contra Regem Angliæ lib. 3. c. 5. & c. 23.* Molina *de justitia Tomo 1. tract.
1. disp. 29.* Tanner *in 2. p. dist. 4. q. 4.* Valentia *in 2. 2. distinct. 1. q. 12.
alijque.* Jacobus Almain *de suprema potestate temporali & Ecclesiastica
q. 2.* Joannes Driedo *lib. 1. de libertate Christiana c. 14.* Jacobus Gretse-
rus *adversus Goldastum.* Joannes Roffensis Episcopus *Martyr contra
Lutherum.* Ludovicus Bologninus *tract. de potestate Papæ.* Ledesma *in
2. p. q. 20.* Martinus Navarrus *in c. novit. de judicijs.* Nicolaus Abbas
Panormitanus *in c. solide. de majoritate & obedientia.* Nicolaus Sande-
rus *de visibili Monarchia.* Petrus Ancharanus *in c. canonum statuta de
constitutionibus.* Petrus Cluniacensis *lib. 6. epist. 29.* Pelagius Alvarus *de
placitu*

placitū Ecclesia lib. 1. art. 21. Petrus de Palude tract. de causa immed. Ecclesie potestatis. Robertus Holcot. in lib. sapientia lectione 200. Reginaldus Polus lib. de summo Pont. c. 8. Sylvester in Summa, verbo Papa. Stanislaus Hofius Cardinalis in confessione Catholica. Salgado de protectione Regia Tomo 1. p. 1. Thomas Valdensis lib. 2. a. 3. Thomas Morus pro Regis Henrici VIII. libello contra Lutherum. Turrecremata in summa lib. 2. c. 11.




§. XVII.

Rationes pro eadem veritate.

S U M M A R I A.

1. *Prima Ratio ex officio Pastoris.*
2. *Ex jure naturalis defensionis.*
3. *Ex sine rerum temporalium.*
4. *Ex obligatione divina precepta humanis preponendi.*
5. *Ex juramento, quo se Reges Ecclesie obstringunt.*
6. *Ex potestate Pontificia. divinas leges interpretandi.*
7. *Ex officio Advocati Ecclesie, quo Reges funguntur.*
8. *Ex Comparatione Ecclesiastica potestatis cum temporali.*
9. *Ex inductione rerum omnium.*



Rationes ultimo loco producimus, tanto validius pugnaturas, quod antiquitate, Patrum testimonijs exemplisque omnium, ut vidimus, atate subnixæ.

I.



Prima ergo ratio desumitur ex officio pastorali Petro ejusque successoribus commissio Joannis ultimo per illa Verba; *Pasce oves meas*: Officium verò pastorale circa oves non tantum versatur in pascendo, regendo, fovendo

fovendo, &c. sed etiam in arcendo, separandoque oves morbidas à sanis, ne infirmentur: abigendo lupos, ne invadant, &c. Cùm ergo Reges Christiani ad oves Christi pertineant: si, quod absit, eorum aliquis gregem Christi & Ecclesiam pessundet, hæreticus evadat, divinis ac naturalibus legibus obstinatè non pareat; pertinebit ad curam summi Pastoris, nullâ spe correctionis allucente, alijsque remedijs in vanum consumptis, hujusmodi Principem ab Ecclesia separare, & potestatem nocendi, velut furioso gladium extorquere. At, *inquies*, Pontifex Romanus in spiritualibus tantùm, & quæ Religionem, & animam spectant, Pastor est Regum: illique clavis Regni cælorum, non Regni terrarum commissa est. *Et*. Potestatem spiritualem & temporalem sic conjunctas esse, ut separari non possint, & separatae faciliè corrumpantur: sicut enim corpore indilposito, organisque corporeis malè affectis, non potest anima suas functiones exercere, ita nec Religio florere, conservarique Republicâ malè constitutâ, & perditio aliquo Principe imperante. Deus ipse quamvis fidem Catholicam, & Ecclesiam per miracula, & specialissimam providentiam plantaverat, noluit eam Principibus ethnicis diu subjacere, sed illis per Constantinum excisis, Imperium ad Christianos transtulit, sub quibus toto orbe dilatata est; spectatâ siquidem hominum fragilitate, fieri non potuisset, Imperio penès ethnicos, & persecutionibus diu multumque durantibus, fidem Catholicam conservari, victâ tandem diuturnis pœnis patientiâ, quod apertè Christus in persecutione Antichristi eventurum prædixit, *Matth. 24.* & exempla Galliarum, Angliarum, Sueciarum, Græciarum, &c. plus nimio ostenderant, veram Religionem fidemque Catholicam turbatâ Republicâ, & infidelibus rerum peritit excidisse. Cùm ergo Imperium, & Religio ad eodè colligata sint, non potuit una sine altero Christi Vicario, summoque Pastori committi: Sicut enim pastori ovium tantùm, non luporum aut prædonum cura committitur: si tamen isti oves invadant, etiam istos pellere & procul arcere Pastoris officium est: eodem modo nulla in Principes & Regna potestas summo Pontifici, nisi quando ex mala illorum administratione Ecclesia periclitatur, nec alijs remedijs locus est. Eadem utriusque juris sententia est, cùm statuunt, concessâ alicui jurisdictione, concedi omnia, quæ ad illam necessaria sunt, & sine quibus exerceri illa efficaciter non potest.

L. fm. ff. de off. ejus cui mandat. jurisdic. & L. 2. ff. de jurisdic. omnium judicium. & c. praterè de officio judic. delegati. Si ergo Principes sæculares ad oves Christi pertinent, quarum cura Petro ejusque Successoribus commissa est; si & de illorum præcipuè animabus summo Pontifici reddendæ sunt Deo rationes, tanquam præcipuis Ecclesiæ membris, oportebit consequenter omnem potestatem illis concessam esse, quæ ad eorum animas, subditorumque pascendas, regendas, curandasque necessaria; nisi velimus DEI providentiam, quæ rebus etiam vilissimis necessaria providit, Ecclesiæ non providisse. Esse verò potestatem indirectam Ecclesiæ Religionique necessariam, & res ipsa, & exempla, ut diximus, convincunt.

II. *Secunda ratio* desumpta ex Jure & debito naturali, quo S. Pontifex Christi Ecclesiam, veramque Religionem defendere tenetur. Quilibet enim Princeps non tantum jus habet subditos gubernandi, sed etiam ex hoc resultat jus aliud naturalis defensionis, quo potest alium Principem etiam non subditum, qui publica commercia turbat, pacta non servat, aliòve modo sibi, suisque infestus est, ad officium compellere, & nisi absistat, bello invadere, Regnoque privare: multo igitur magis poterit Papa, cui Ecclesia concredita est, Principes sæculares Ecclesiæ filios, & quorum potestas temporalis est spirituali subordinata, si Religioni vel committendo vel omittendo noceant, & juramentum violent, quo Ecclesiæ se obstrinxerunt, Regno deponere, alijsque modis coercere, idque jure defensionis: posse enim Ecclesiam non spiritualibus tantum, sed etiam temporalibus pœnis suos hostes comprimere extra dubium est (modò ipsa non exequatur, & extra sanguinem. *c. inter. 33. q. 2.*) & sunt auctoritates SS. PP. in *c. de Liguribus. 43. & c. 44. & c. non vos hominum. 42. causa 23. q. 5. & c. jam verò. causa 23. q. 8.* Plerumque enim pœnæ spirituales contemptui sunt impijs, & ludibrio, tantum abest, ut sint remedio: & fuisse etiam ab Apostolis usurpatas docet S. Hieronymus in *cap. legi 31. causa 23. q. 8.*

III. *Ratio tertia* desumitur ex fine regiminis temporalis, ejusque subordinatione ad finem regiminis spiritualis. Finis enim Regni & temporalis gubernationis est felicitas temporalis, quæ in pace, divitijs, mutuis commercijs, quietâ rerum suarum possessione, alijsque, quæ civem reddere possunt felicem, consistit; ira tamen, ut hæc ipsa felicitas temporalis ad finem altiorem & supernam

ruralem reducatur, veram videlicet fidem, Religionem, cultum
 Dei, exercitium omnium virtutum, quæ hominem decent, & qui-
 bus ad æternam felicitatem pervenitur. Cùm enim Regna sint à
 Deo constituta, idem finis regnantium esse debet, qui fuit Dei,
 hic autem propter seipsum, suamque gloriam Regna constituit, &
 ita expressè *s. Thomas 1. 2. q. 21. art. 3.* & præsertim *de Regim. princ. lib. 1.*
a. 7. docuit. Et idèd Principes sæculi priùs oportet, ut quærant Re-
 gnium Dei & justitiam ejus, quàm bona alia temporalia, *Matthæi 6.*
v. 33. cùm ista sint media tantum, & illud finis, *Deuter. 17. v. 18.* Si
 ergo ex omnium consensu potestas regia ordinatur ad Religionem
 tanquam medium ad suum finem, tamquam minus perfectum ad
 magis perfectum: ille, qui est caput Religionis, erit etiam regie
 potestatis, in quantum hæc pertinet ad Religionem: & qui mode-
 ratur fini, ejusque executioni, multò magis & medijs ad eum finem
 ex sua natura & institutione Dei ordinatis: sicut enim sanitas, quia
 est finis medicinæ, quidquid enim ad sanitatem facit, herba, li-
 quores, gemma ad eandem medicinæ artem pertinent, ejusque
 directioni subjacent; & quia finis nauticæ artis est felix ad portum
 navigatio: idèd ad eandem pertinet, magnetem, acum nauticam,
 ventorum & stellarum examen, & alia ad hunc finem necessaria in-
 struere, dirigere, mutare, &c. Eodem modo potestas regia me-
 dium & instrumentum cùm sit æternæ felicitatis, cui ex officio
 istius cura committitur, etiam illius commissa est tanquam inferio-
 ris & instrumenti ex Dei institutione ad felicitatem æternam dire-
 cti: si quis imaginem suam pictori exprimendam deferat, quis non
 dicat hoc ipso factam illi potestatem colores miscendi, telam po-
 liendi, tingendi que, radios & penicillos in omnem partem ex-
 præscripto artis ducendi, & operi inutiles, aut etiam noxios cor-
 rigendi, aut si non possit, omnino projiciendi? Cùm ergo Eccle-
 sia militans sit imago triumphantis Ecclesiæ *ad Hebræos 9.* quam fide,
 spe & charitate, ac præsertim Religione in Deum, velut totidem
 coloribus imitatur, ejusque pingendæ cura Dei Vicario, velut summo
 Pictori commendata sit, Principibus verò tanquam instrumentis
 & penicillis divino huic operi deservientibus; ad eundem Christi
 Vicarium pertinebit inutiles, noxiosque, & quibus fædatur potiùs
 imago, quàm perficitur, semovere, aliosque substituere: sic ta-
 men, ut in Principes Ecclesiæ utiles nihil juris exerceat, dicente
 ipso

ipſo Chriſto Phariſæis, hoc eſt, Legis Doctõribus & expoſitori-
 bus: Date ergo qua ſunt Cæſaris Cæſari, & qua ſunt Dei, Deo. Matthæi 22.
 Quam rationem ubique & conſtanter S. Thomas uſurpat, nam 1. p.
 q. 82. art. 4. in corpore. In omnibus potentijs, inquit, activis ordinatis illa
 potentia, qua reſpicit finem univerſalem, movet potentias, qua reſpiciunt fines
 particulares. Et hoc apparet tam in naturalibus, quam politiis: cælum enim,
 quod agit ad univerſalem conſervationem generabilium, & corruptibilium;
 movet omnia inferiora corpora, quorum unumquodque agit ad conſervatio-
 nem propria ſpeciei, vel etiam individui: Rex enim quia intendit bonum com-
 mune totius regni, movet per ſuum imperium ſingulos præpoſitos civitatum: quæ
 ſingulis civitatibus curam regiminis impendunt. Objectum autem voluntatis
 eſt bonum, & finis in communi. Quelibet autem potentia comparatur ad ali-
 quod bonum proprium ſibi conveniens, ſicut viſus ad perceptionem coloris, in-
 tellectus ad cognitionem veri. Et idem voluntas per modum agentis movet omnes
 anima potentias ad ſuos actus, præter vires naturales vegetativa partis, qua no-
 ſtro arbitrio non ſubduntur. Et in 1. 2. q. 9. a. 1. Et idem eſt, inquit, quod ars,
 ad quam pertinet finis, movet ſuo imperio artem, ad quam pertinet id, quod
 eſt ad finem. Sicut gubernatoria ars imperat navifaſtiva, ut in 2. Phyiſic. dici-
 tur, bonum autem in communi, quod habet rationem finis, eſt objectum volun-
 tatis. Et idem ex hac parte voluntas movet alias potentias anima ad ſuos actus:
 utimur enim alijs potentijs, cum volumus, nam fines & perfectiones omnium
 aliarum potentiarum comprehenduntur ſub objecto voluntatis, ſicut quadam
 particularia bona; ſemper autem ars vel potentia, ad quam pertinet finis uni-
 verſalis, movet ad agendum artem vel potentiam, ad quam pertinet finis parti-
 cularis ſub illo univerſali comprehenſus; ſicut Dux exercitus, qui intendit bonum
 commune, ſcilicet ordinem totius exercitus, movet ſuo imperio aliquem ex ſuis
 tribunis, qui intendit ordinem unius aciei. Sed objectum movet determinando
 actum ad modum principij formalis, à quo in rebus naturalibus actio ſpecifica-
 tur, ſicut calefactio à calore. Primum autem principium formale eſt ens
 & verum univerſale, quod eſt objectum intellectus, & idem iſto modo motionis
 intellectus movet voluntatem, ſicut præſentans ei objectum ſuum. Et 2. 2. q. 23.
 a. 4. ad 2. Dicendum, quod virtus vel ars, ad quam pertinet finis ultimus, im-
 perat virtutibus vel artibus, ad quas pertinent alij fines ſecundarij: Sicut milita-
 ris imperat equeſtri, ut dicitur in 1. Ethic. Et idem quia charitas habet pro ob-
 jecto ultimum finem humana vita ſcilicet Beatitudinem æternam: idem extendit
 ſe ad actus totius humana vita per modum imperij, non quaſi immediatè eliciens
 omnes actus virtutum. Et 1. p. q. 57. a. 2. Hoc enim rerum ordo habet, quod

quantò est aliquid superius, tantò habeat virtutem magis unitam, & ad plura se extendentem, sicut in ipso homine patet, quòd sensus communis, qui est superior, quàm sensus proprius, licet sit unica potentia, omnia cognoscit, quæ quinq; sensibus exterioribus cognoscuntur: & quadam alia qua nullus sensus exterior cognoscit, scilicet differentiam albi & dulcis. Et simile etiam est in alijs considerare. Unde cum Angelus natura ordine sit supra hominem, inconveniens est dicere, quòd homo quacunq; sua potentia cognoscat aliquid, quòd Angelus per unam vim suam cognoscitivam, scilicet intellectum, non cognoscat. Unde Aristoteles pro inconvenienti habet, ut litem, quam nos scimus, DEUS ignoret, ut patet in 1. de anima, & in 3. Metaphys.

Cum ergo finis omnium regnorum & Principatuum sit vera Religio, Dei que cultus rectus, & tandem æterna felicitas; ordo & à Deo perpetuò observatus postulat, ut cui Religionis, æternæ que felicitatis cura mandata est, sit etiam Regnorum & Principum, in quantum ad illa pertinent.

IV. Ratio 4. Desumitur ex obligatione, quam omnes fideles habent, veram Religionem fidemque colendi, & qui eam impugnant repellendi. Cum enim omnes teneantur jure divino ad æternam vitam adspirare, eodem jure ad nostram Religionem, & mandatorum observantiam obligantur, sine quibus illa non potest obtineri, & consequenter omnia, quæ hoc impediunt, amoliri: si ergo ponamus Principem aliquem hæreticum fieri, & exemplo aut præcepto subditos suos in errorem & perditionem rapere, non tenebitur, immo nec poterit Respublica membrum hoc putridum, & totum corpus infecturum pati, sed præcidere juxta illud Christi: *Si oculus tuus aut pes tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.*

Cujus rei multa sunt argumenta. Primò: ex natura præcepti humani, quòd subjacet divino; si ergo obedientia homini delata impediatur obedientiam Deo debitam, illa abrumpenda est. Deinde Deuter. 17. prohibetur populus eligere Regem, qui non sit Religione Judæus.

Quæ causa hujus præcepti? ne videlicet Judæos ad Idololatriam pertraheret: quæ ratio cum sit naturalis, tam in novo, quàm in veteri testamento procedit: aded ut teste D. Thomâ ab omnibus recepto 2. 2. q. 10. art. 8. etiam infidelibus nulloque modo subiectis possit Ecclesia bellum indicere, ne fideles in suæ Religionis exercitio impediatur; quantò magis Regi Christiano poterit titulo jura-

juramenti & subordinationis Ecclesie subjecto? Immo sententiã omnium DD. receptum est, præsertim Gallorum: Pontifici si Ecclesiam persequatur, aut in hæresin notoriam incidat, resisti etiam armis posse, & Pontificatum adimi: quantò magis Regi notoriè hæretico & Ecclesie persecutori adimi poterit? cùm potestas Regalis à Populo sit in Reges translata, sitque humani, non divini juris. Denique matrimonium, etsi jure divino & naturali institutum, naturale vinculum pariat, sitque indissolubile, sitamen Conjux infidelis sine Creatoris injuria cohabitare nolit, fidelis liber est, & aliud matrimonium aggredi potest. 1. ad Corinth. 7. c. gaudemus de divortijs. Hæc omnia efficaciter probant, Principem, ubi Religioni detrimento est, exauctorari posse: quod tamen cùm sit prudentiæ & circumspèctionis summæ, & ad illa remedia pertineat, quæ cùm extrema sint, magnis periculis plerumque conjunguntur, idèò hujus rei judicium, tanquam gravissimæ soli Pontifici reservatur per expressa verba Spiritus S. Deuter. 17. & exemplum habetur 2. Paralipom. 23.

V. Ratio 5. Sumitur ex juramento, quo se Reges Ecclesie, & subditis obstringunt: quando enim Regibus habent committuntur, juramento se obligant, & subditis de eorum privilegijs non infringendis, & Ecclesie, de illa contra hostes defendenda. Vide juramentum Caroli apud Spond. Anno DCCC. & Ottonis Imper. in c. tibi 33. distinct. 63. si ergo fidem & juramentum fallunt, à privatis quidem æquo animo tolerandi sunt, auctoritate tamen publicâ coerceri possunt, ut eleganter docet S. Thomas de Regim. Princ. lib. 1. 1010 c. 6. fidem enim frangenti impunè fides non servatur. Vide c. 3. de jurejur. c. 28. de Simonia c. frustra de R. I. in L. 6. cum proponas 21. Cod. de pact. & ibi DD. Vide Clement. unic. de jurejurando.

Cùm ergo causa juramenti & perjurij sit fori Ecclesiastici c. 13. de judic. & c. 34. de elect. si hoc à Regibus committatur, cur à summis Pontificibus judicari, & pœnis coerceri non possint? ergo ex hoc saltem capite Summorum Pontificum judicio submittuntur.

VI. Ratio 6. Sumitur ex potestate interpretandi declarandique juris divini, & naturalis dubij, quam summis Pontificibus concedunt Catholici omnes, hæc enim potestas apertissimè deducitur ex Deuter. 17. Cùm ergo detur aliquis casus, in quo ipsi Galli fententur Principem abdicari posse: immo Maymburgus lib. 2. Histor.

Iconoclast. hanc abdicandi Reges potestatem Statibus, & Comitibus Generalibus concedit; poterit ergo summus Pontifex saltem per viam auctoritativæ declarationis pronuntiare, in confluxu certarum circumstantiarum, & ob gravissima mala Religioni, & Ecclesiæ impendentia, juramentum à subditis præstitum non obligare, eoque solutos liberosque esse: si enim concedimus casum aliquem dari, ut juramentum hoc non obliget; quando is contingat, judicium erit summi Pontificis, ad quem causæ juramentorum spectant *c. 13. de judic. c. 34. de elect.* quid ergo quoad effectum ipsum differt, si ve dicamus jus Pontificium in Reges esse veræ potestatis, si ve meræ declarationis & interpretationis auctoritativæ? quemadmodum summus Pontifex si ve dispenset in præcepto residendi, si ve declarat præceptum residendi cessare, utroque modo obligatio residendi sublata est; quod si hanc ipsam declarandi potestatem Pontifici negant: imprimis negant, quod nunquam salvâ Religione negatum est: deinde quærimus, ad quem ergo hæc declarandi facultas pertineat? ad omnes? ad nullum? ad aliquem? Si ad omnes: miserima omnium juramentorum Regumque conditio est, quorum coronæ & imperia voluntati, arbitrio & declarationi subditorum succumbunt: quibus cum placuerit, & aliter judicaverint, juramenta solvuntur. Si ad nullum: miserima iterum omnium jurantium conditio est, quibus in tanta casuum varietate, & alternatione, ubi meritò dubitari potest, an juramentum liceat possitque observari, nemo tamen est, qui dubitantes absolvat, dubioque liberet. Quis ergo Francos juramento, quod Childerico dixerant, exolvit? Quis Romanos, cum à Græcis ad Carolum M. Francorum Regem defecerunt? Quis eosdem Francos, cum Hugoni Capeto Regnum detulerant, Carolo I. Lotharingiæ Duci & Regij sanguinis proximo debitum? Si verò aliquem concedunt esse, cui juramentum interpretari liceat, neminem alium videmus, quàm Magistratum Ecclesiasticum, eumque præcipuè, cui dictum est: *Quodcumque solveris super terram, &c.* Quod Ecclesia Gallicana apertè professæ est, quam per os Peronij Cardinalis sic locutam accepimus in Comitibus Generalibus anno MDCXV: *Sacramento vinciri Reges Gallie, ubi inaugurantur, pellendis Regno suo hæreticis: si pejeraverint in hæresin ipsi degeneres, si fautores hæresiarcharum, si novi dogmatis assertores, deberi ultionem Vicario DEI, ad quem unum ex lege spectat perjuriæ pœna.* Gramondus *lib. 1. Histor. ad annum MDCXV. f. 65.*

VII. Ratio 7. Sumitur ex officio Advocati, & defensoris Ecclesie, quod Imperatoribus Regibusque commissum est: esse enim Principes Ecclesie advocatos habemus expressè in c. *Venerabilem de electione. Clement. Romani. de iurejurando. c. 2. in 6. de suppl. neglig. Prælat.* fatentur ipsi etiam Electores imperij, ut videre est apud Bzov. *ad annum MCCCXIV. fol. 256.* Et Albertus Austriacus Imperator ad Bonifacium VIII. apud Baronium Anno DCCCCXCVI. n. 49. Ipse Rex Christianissimus per Archiepiscopum Parisiensem MDXXXIII. Massiliæ Clementem VII. sic est allocutus: *Beatissime Pater, cum Serenissimus Dominus Franciscus Rex Christianissimus animadvertens, quantis in periculis Christianitas per hos annos sit versata, jam pridem desideraverit cum S. V. tanquam Christianorum omnium summo Pastore, & parente aliquo in loco utriusque commodo colloqui, idque ab eadem S. V. instanter petierit, ut cum ea præsens in commune bonum consulere posset: nunc huius voti compos, benignitate V. S. effectus, agit eidem S. V. maximas gratias, non solum, quod à proximo morbo debilis, & jam annis gravis laborem via, & maris discrimen non defugerit, sed & quod in ejus Regnum venire dignata sit. Deinde verò, quod ipse semper optavit personaliter exequi, eidem S. V. tanquam vero Christi Vicario, & Petri Successori obedientiam personaliter præstat, seq̄, & sua Regna, & dominia omnia pro S. V. & sacrosanctæ Romana Ecclesia, cujus ipse Primogenitus filius existit, tuitione & augmento piè offert & pollicetur: rogans, ut filialem hanc obedientiam & oblationem paternâ benignitate suscipere dignetur. Sic habet Tomus 2. *Preuves des Libertez de l'Eglise Gallicane. c. 3. n. 3.* Et eleganter B. Leo epist. 73. ad Leonem Augustum: *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesia præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & qua bene sunt statuta, defendas, & veram pacem his, qua sunt turbata, restituas.* Et B. Gregorius Papa ad Mauritium Imperatorem lib. 2. indict. 11. epist. 6. *Ad hoc potestas super omnes homines Dominorum meorum pietati calidius data est, ut qui bona appetunt, adjuventur, ut colorum via largius pateat, ut terrestre regnum caelesti Regno famuletur. Et prædixerat jam dudum Isajas. c. 49. Et erunt Reges nutritij tui, & Regina nutrices tue: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Et c. 60. Et aperientur porta tua jugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & Regnum, quod non servierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur.**

Cùm ergo ex allatis textibus certissimum sit, Imperatores, Reges, Principesque omnes Advocatos esse, Defensores, Nutritios, Ministrosque Ecclesiæ, aded ut ex Dei intentione hic fuerit primus præcipuusque finis Reges Regiamque potestatem instituendi, ut Ecclesiæ videlicet & fidei servirent: hoc ergo respectu si Ecclesiæ noceant, eamque opprimant, cui patrocinium debent, poterit in illos velut in suos Ministros, Advocatosque Ecclesia animadvertere, & in officio continere; nam, ut bene argumentatur Innocentius III. *in c. venerabilem. de electione: Nunquid enim Ecclesia Advocato & Defensore carebit, eorumque culpa ipsi redundabit in poenam? Neque hoc in jure, aut praxi novum, ut, qui uno respectu liber, exemptusque est, alio subjectus fiat: nam Matrimonium v.g. ut contractus quidam in officium naturæ institutus, ad forum ecclesiasticum non spectat, pertinet tamen quâ ratione Sacramentum est; sic personæ Ecclesiasticæ omni jure humano, divinoque extra civilem jurisdictionem sunt: si tamen à Principe feudum aliquod habeant, hujus foro & judicio adstringuntur. c. 6. de foro competenti.*

Idem homo si filius familias, & præses Provinciæ sit, non potest ut filius familias manumittere, potest ut præses *L. si Consul. ff. de adopt. Rex inservit Ecclesiæ, quatenus homo est, vivendo fideliter; quatenus autem Rex est, justas leges indicendo. c. si Ecclesia. 23. q. 4. Vide Abbat. c. ex litteris. de probat. c. fin. de instit. Estque communis sententia Juristarum, posse unum plurium vices sustinere, dummodo exercitium unius actûs non obstat exercitio alterius, quod late probat Abbas *in c. ex litteris de probat. Sanchez. lib. 8. de matrimonio. disp. 3.* Sic ergo dominus temporalis ex eo capite, quod DEI institutione magis principaliter est Ecclesiæ Advocatus, Defensor, & Minister, quam Rex (quia hoc ad illa ordinatur) poterit ab Ecclesia judicari, coërcerique: enimverò non esse hoc meram & legalem speculationem, sed plus nimio in praxi observari solitam doctrinam, ut qui uno respectu liber est, alio serviat, exempla satis docent, & quæ sequenti ratione dicemus, adhuc magis declarabunt.*

VIII. Ratio 8. Sumitur ex comparatione temporalis, & Ecclesiasticæ dignitatis: hanc enim esse multo illâ majorem, est in confesso apud omnes, & jam dudum eleganter docuit Innocentius III. *in Decretali ad Constantinopolitanum Imperatorem c. sollicitud. de majoritate & obedientia.* ubi inter alia: *Præterea nôsse debueras, quod fecit Deus duo magna*
lumi-

Luminaria in firmamento Coeli: luminare majus, ut praeset diei; & luminare minus, ut praeset nocti: utrumq; magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur Coeli, hoc est, universalis Ecclesia, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, qua sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas. Sed illa, qua praest diebus, id est, spiritalibus, major est: qua vero carnalibus, minor, ut quanta sit inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Et S. Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem: Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur; auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim, fili Clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate rerum, tamen praesalibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas salutis tuae expetis, inq; sumendis caelestibus sacramentis, eisq; ut competis, disponendis, subdi te debere cognoscis Religionis ordine potius, quam praeset. Nosti itaque inter haec, ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. Et si cunctis generaliter Sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda submitti; quanto potius sedis illius Praesuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus & divinitas summa voluit praeminere, & subsequens Ecclesia generalis pietas jugiter celebravit?

Hac ergo supposita Ecclesiastica supra saecularem potestatis prerogativa & excellentia, argumentari sic licet: Ad minus tantum debemus Ecclesiasticae potestati in saecularia bona personasq; concedere, quantum conceditur temporali potestati in bona & personas Ecclesiasticas: cur enim majori potestati & nobiliori minus concedamus? Videmus vero passim Principes temporales, in Gallia praesertim, indirectam potestatem in personas, & bona Ecclesiastica exercere, qua tamen omni jure, divino humanoque exempta esse omnes fatentur.

Leges & poenas matrimonij ponunt, quia contractus sunt, & ideo politicae gubernationi, ut dicunt, subjecta: Bonorum immobilium Ecclesiasticos incapaces jubent, quia id ad Reipublicae bonum, nobilitatis augmentum, & rarioris compendium spectat: Tributis Ecclesiasticos onerant, quia membra Reipublicae sunt, ejusque necessitatibus sublevandis obstricti: In Gallijs, prout videre est in libro Gallico de juribus & libertatibus Ecclesiae Gallicanae tomo 2. nec Concilia universalia, nec aliae leges Pontificiae promulgari possunt absque regia permissione, ne Respublica turbetur fol. 233. Episcopi

Galliæ juramentum fidelitatis Regi præstant, quia pertinent ad status & Ordines Regni *fol. 312.* Eisdem Episcopos, aliosque curam animarum exercentes varijs edictis, & arrestis pœnalibus Reges coërcent, coguntque residere, & nisi faciant, fructibus privant *f. 315.* Prohibentur Prælati, Abbates, Priores, Magistri in Theologia, & aliæ Ecclesiasticæ & sæculares personæ absque Regiæ concessione Regno egredi, ob gravia incommoda propterea Regno impendunt: & si regno excedant, omnia illorum temporalia bona alijs conferuntur *fol. 333. n. 6.* Immo proscribuntur *fol. 334. n. 7.* Alijsque omnibus pœnis, quæ à Rege infligi possunt *fol. 335.* Idque etiam si Episcopi, Archiepiscopi, &c. ad Concilium Generale à Pontifice vocentur *fol. 335. n. 8.* Non obtentâ Beneficiorum provisione à curia Romana alijsque Ordinarijs, Rex, & Parlamentum provident, quæ provisio, & collatio tanti est, quanti esset Romana, Bullæque à Pontifice missæ: id enim Regni, publicæque quietis interest. *fol. 422.*

Bullæ Indulgentiarum sine Regiæ permissione promulgari in Gallia non possunt *fol. 690.*

Parlamentum, Judicesque & Magistratus Regij punire possunt concionatores, qui ad populum seditiosè declamant, eosque incarcerare *fol. 726.*

Nova Monasteria in Gallijs ædificari non possunt sine Regiæ assensu, ne videlicet populi graventur *fol. 754.*

Potest Parlamentum de electionibus Superiorum, & delictis scandalo conjunctis, quæ in Monasterijs contingunt, cognoscere *fol. 762.*

En exempla aliquot (nam infinita alia præterimus, quæ in citato libro videri possunt) à Principibus sæcularibus in Ecclesiasticos indirectæ potestatis! quam tutò salvâque Religione, & conscientiam exercere se posse credunt, quia Ecclesiasticos considerant non ut tales, sed ut membra Reipublicæ civilis, ut in Regno natos subditosque, utque hujusmodi leges in Ecclesiasticos scriptæ, ad utilitatem, felicitatem, quietemque publicam pertinent. Si ergo, quantumvis Ecclesiasticæ personæ, eorumque bona omni jure exempta sint, & extra sæcularem jurisdictionem: quantumvis SS. Canones hanc immunitatem, & exemptionem sub gravissimis juris pœnis violare directè vel indirectè prohibeant, *c. quanto, de privilegijs.*

gij. ubi Abbas & Glossa. Bulla Cœna, excommunicatione 15. Quantumvis denique conditio, & status Ecclesiasticus sit longè perfectior, altior digniorque sæculari, & huic nullo modo subordinatus: hæc tamen omnia non obstant, quòd minùs Principes sæculares Ecclesiasticum ordinem indirectè judicent, puniant, imperent, bonis privent, incapaces pronuntient, carceribus mandent, &c. Quæ omnia jure à se fieri dicunt, quòd nullam directè in illos exercent potestatem, sed indirectè tantùm; quantò igitur magis id admittere debent, fieri posse à summo Pontifice omniumque Ecclesiarum Antistite, quando Religionis, & fidei Catholicæ bonum hoc necessariò postulat, ubi & ipsa dignitatis prærogativa, & natura potestatis sæcularis, quæ Ecclesiasticæ subordinatur, & SS. Canones, & omnium sæculorum Exempla, & tot Concilia universalia, & ipsa sacræ literæ juxta in erpretationem Canonicam, hoc ipsum fieri & permittunt & jubent? ergo quòd SS. Canones vetant, hoc licet? & quod jubent, non licet? quod minori conceditur, majori non permittitur? Temporalis & Regia potestas Ecclesiæ servit, tamen imperat, punit, leges dicit; neque hoc usurpare aliena est, sed potius Republicæ providere. Ex adverso Ecclesiastica & Pontificia potestas, quæ superior & Domina est, si ob publicam communemque necessitatem, cùm Religioni, cùm animabus perniciès imminet, temporalia disponat; hoc est, si medijs & instrumentis utatur fini suo necessarijs, id continuò dicitur in alienam messem involare, quietemque publicam offendere.

Dicendum est ergo, potestatem Ecclesiasticam, & ex comparatione ad potestatem sæcularem in temporalia extendi, quando ista necessaria sunt fini spirituali, hoc est, Religioni, concordia, cultui divino, animabus, fideique conservandis proferendisque: & esse contra omnem naturam, rerumque ordinem hoc sæculari concedere, & negare Ecclesiasticæ potestati, hoc est, Dominæ ancillam præferre.

IX. *Ratio 9.* Sumitur ex continuâ perpetuâque rerum omnium inductione, in quibus palàm est, esse aliquid majus nobiliusque, quod minoribus & imperfectioribus dominetur. Sic Angelis datum est regium in omnes sensibilibium rerum species dominium. S. Augustinus *lib. 83. quæst. 76.* Damascenus *lib. 2. c. 4.* Origines *Numerorum 6. 20.*

Videmus ea, quæ magis lucent, magis etiam movere, perficere & agere in hæc inferiora, ut inter planetas solem, inter elementa ignem &c. Idem ergo dicendum erit de potestate Ecclesiastica illis concessa, quos Christus appellat *lucem mundi*: & Zacharias *stellas lucentes in perpetuas æternitates*.

Videmus gratiam non animam tantum, sed etiam corpus perficere, idque virtutes morales temperantiæ & continentię ad virtutem & æternam felicitatem instruere, & si bonum Religionis exigat, morti & tormentis exponere.

Videmus jure & instinctu naturæ omnia sic esse instituta, ut sibi adversantia, & nocentia expellant, exarmentque; & conservando bono meliori & universaliori, imperfecta & particularia bona cum propria licet pernicię ac etiam interitu exponant: Sic manus ad tuendum caput accurrit, naturali que instinctu vulnus & dolorem in se recipit: aqua centrum egreditur, & contra impetum naturæ sursum attollitur, ut vacuum impediatur universo inimicum: quia membra vitæ conservandæ deserviunt, si hujus intersit, ex medici arbitrio amputantur: sic denique, cum media & instrumenta omnia obtinendo fini accommodentur, prout huic conducunt, nocentque, ad nutum artificis aut amoventur, aut operi applicantur: Cum ergo regna & bona temporalia omnia sint à Deo instituta, ut Religioni, animabus, æternæ que felicitati deserviant: tenentur, qui ijs præsumt, hoc facere, & ni faciant, sed potius incommodent, pertinebit ad Caput Præsidentemque Ecclesiæ illos officij sui admonere, & etiam compellere; nisi velimus dicere Deum Ecclesiæ suæ, cujus gratiâ creaturas omnes, seque ipsum impendit, minus quàm rebus alijs, etiam minimis providisse, negatâ illi, quâ se tueretur, necessariâ potestate: aut contra providentiæ suæ ordinem tot sæculis obrentum, per miracula tantum conservatam voluisse.



§. XVIII.

Solvuntur Objectiones.

SUMMARI A.

1. Regia potestas, si à DEO immediate sit, non idè Pontificiæ sub-
jectam non esse.
2. Dyscolis Principibus obediendum salvâ Religione.
3. Non turbari hâc potestate Rempubicam.
4. Quid ad Extravag. meruit?
5. Potestas Regia Christo asserta.
6. Arma Sacerdotum non solas lacrymas esse.
7. An hac potestas Reip. noxia?
8. Quæ Patrum Societatis de hac potestate in Gallijs sententia?

Multa sunt, quæ huic nostræ doctrinæ opponi
possunt, nec mirum hoc, aut novum videri debet: eadem
enim veritatis natura & lucis est, quam sine umbra vix reperies:
ac in tanta studiorum & affectuum agitatione, etiam limpidissi-
mum fontem turbari est necesse, singula non tam impugnabi-
mus, quàm producemus, hoc ipso pretium amissura,
quòd videantur.



I. Pponitur 1. Imperatoriam potestatem immediate à Deo
collatam esse Nov. 6. init. & Nov. 73. §. 1. Non ergo à
Pontifice, ut supra dictum; & si à DEO collata, non
ergo à Pontifice aut restringi potest, aut adimi, cum
inferior non possit in legè aut privilegio superioris dispensare.

II. Quid-

℞. Quidquid sit, Regia, & Imperatoria potestas auctoritate divinâ, an humanâ sit instituta; illud certum videtur, à DEO non immediatè conferri: cùm enim ea sit merè temporalis, nec ad actum dirigatur, cujus Respublica non sit capax: immo hæc potestas penès communitatem aliquando fuerit, ab hac in Principem & potuit transferri, & de factò translata est. (a) Cùm ergo dicunt Imperatores se à DEO imperium accepisse: est hoc intelligendum, quòd ex speciali ejus Providentia & gratia, quæ Regibus maximè invigilat, imperio sint potiti: non verò, quòd eorum potestas talis sit, ut ab alio quàm à DEO immediatè conferri non possit; qualem dicimus esse Pontificiam, quæ, sicut penès nullam communitatem esse potest, ita à Deo immediatè confertur, precedente electione humanâ, non tanquam hujus potestatis causâ, sed tanquam conditione, sine qua Deus illam non conferret. Sed demus Regiam potestatem immediatè à DEO conferri, non tamen confertur à DEO sine debita, & innata subordinatione ad spirituales potestatem, cui necessariò & ex sua natura, ut medium fini, & instrumentum operi deservit: Cùm enim opera DEI sint ordinata, oportuit temporalia ad spiritualia referri, & istis subjacere, cùm propter se ipsa appeti non debeant: sicut etiam licet DEUS cælum, & quæ ac terram immediatè creaverit; voluit tamen terræ influxum à cœlesti pendere, nec aliter operari, quàm ex cœli præscripto.

II. *Opponitur 2. Reddite, quæ sunt Cesaris, Cesari; & quæ sunt DEI, DEO. Math. 22. Et omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta sit ad Rom. 13. Et Obedite Regibus etiam dyscolis 1. Petri. 2. Non potest ergo Pontifex Regibus imperium abrogare, cùm illis subiaceat, ac etiam dyscoli Principes, qui subditos præter culpam vexant, ferendi sint.*

℞. Hæc omnia verissima esse ordinariè & pro casu, de quo scripturæ loquuntur, ut nemo videl: privatus obtentu Reipublicæ malè administratæ possit in suos Principes insurgere: absurdissimum enim videtur, & plenum latrocinij, singulis privatorum aut ignorantia, aut odio, aut cupiditate correptis arbitrium & jus in suam Principem committere; hoc enim, ut diximus, remedium est extremis periculis reservatum, nec aliâ manu, quàm Pontificis Maximi applicandum; & de hoc casu textus citati nihil loquuntur, & ideo

(a) §. 6. Instit. de I. N. G. & C. L. l. ff. de Constit. Princip. l. 1. §. 7. C. de V. l. E.

& idè nihil probant, cum non possint magis probare, quàm dicant; nec unquam diximus, aut dicere potuimus, Regem dyscolum ex qualibet, & privata causa, aut injuria delictive posse imperio spoliari, cum hoc plerumque pejus sit, pluribusque malis obnoxium, quàm illud privatum damnum; sed tantum ex causa, damnoque publico, & ad totam Ecclesiam ac Religionem spectante: cujus proinde judicium & cognitio ad solum caput Ecclesiæ, & Religionis, hoc est, Vicarium Christi pertinere debet. (a)

III. *Opponitur* 3. Duas esse potestates, quibus mundus gubernatur, Ecclesiasticam, & temporalem; utramque à DEO institutam & concessam; temporalem Regibus, Ecclesiasticam Pontifici: nec istam posse ad temporalia extendi & commisceri: habet enim quælibet potentia suos terminos, extra quos non vagatur: oculus ad lucem & colores, non ad sonos & concentus: auris ad sonos, non ad colorem pertinet: sic nec potestas Ecclesiastica ad temporalia: alioquin una potestas aliam impediret; quantò enim plus curæ temporalibus impendunt Pontifices, tantò magis Ecclesiastica negligunt dicente Apostolo: *Nemo militans DEO, se immiscet negotijs temporalibus, &c.* Et hæc potestatum confusio nequit esse absque discordijs, principumque indignatione, & quòd consequitur, sine damno Reipublicæ: nemo enim, Reges præsertim, alienam falcein in sua messe patiuntur, juxta illud Poëtæ:

*Nulla fides Regni socijs, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit.*

Et Taciti 4. *Annal.* *Arduum semper eodem loco, & concordiam & potentiam esse.* Et 1. *Annalium:* *suspectum senatus Populiq; imperium ob certamina potentium & avaritiam magistratuum.* Et 1. *histor.* *Pacis interest, omnem potestatem ad unum conferri.* Et propiùs ad propositum nostrum Nicolaus Papa I. ad Michaëlem Imperatorem in c. *quoniam dist. 10.*

¶ Multa esse, quæ instar hellebori rarò usurpata medicinæ sunt, lethalia futura, si crebrò; talis est potestas, quæ SS. Pontificibus in Reges & Principes conceditur; hæc enim si ordinaria sit, noceret potiùs, quàm Ecclesiæ prodesset: & idè locum non habet, nisi præmènte necessitate, cumque Religionis bono: tunc enim temporalis potestas ex natura sua Ecclesiasticæ submittitur, cum temporalia sint propter spiritualia; & hoc ad pacem Reipublicæ,

P p

non

(a) Vide S. Thomam lib. 1. toto c. 6. de Regim. Princip.

non diffidium pertinet, turbatâ siquidem Religione etiam Regna turbantur, & idèd quidquid tuendæ Religioni, tuendis etiam imperijs servit: expeditque immensæ Regum potentie terminum aliquem figi, ut non excurrat, arasque fidei transcendat; quod fieret, si extra omnem metum & judicem essent, cupiditate regnandi Religionem vincente. At Principes offenduntur? Equidem optandum esse illos nunquam offendi, at si oporteat, necessitas absolvit, & causa Religionis: nam & medico secanti æger indignatur, sed sanitas vulnus excusat, & dolor beneficio adscribitur, nec aliud convincunt textus citati.

IV. *Opponitur 4. Extravagantem unam sanctam, inter communes Bonifacij VIII. de Majoritate & obedientia. ubi definitur, Pontificem utrumque gladium tenere, per aliam extravagantem meruit: inter communes de privilegijs, revocatam esse, saltem quoad Reges Gallie.*

Respond. Extravagantem meruit Regibus Gallie nil adimere, nihil concedere; sed eos in statu relinquere, in quo erant ante constitutionem Bonifacij: cum enim ex rationibus supra adductis constet, potestatem regiam & temporalem Ecclesiasticæ semper subjectam fuisse, neque hoc ex Bonifacij constitutione, sed jure divino & naturali, nec voluit Clemens V. nec potuit illi derogare, qui de Bonifacio tantum VIII. novisque obligationibus loquitur, & non de naturali & divina.

V. *Opponitur 5. Papa est Vicarius Christi, non quidem ut Dei, cum divina potestas non sit Papæ communicata; sed ut hominis & Ecclesiæ capitis: non ergo majorem habet potestatem, quam ipse Christus, cujus Vicarius tantum & servus est: sed Christus ut homo nullam habuit in Regna, & Principatus ac temporalia jurisdictionem, quod ipse testatus est, Joannis 18. Regnum meum non est de hoc mundo. & Luca 12. O homo, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos? Quis ergo majorem Papæ, quam Christo jurisdictionem tribuat? majoremque Vicario quam Domino potestatem? cum tamen sufficiat discipulo, si sit sicut Magister.*

Resp. Constantem D. Thomæ Principis Theologorum sententiam esse, Christo Domino quæ homini, utramque dignitatem regiam videl. & sacerdotalem communicatam, quod expressè docet lib. 1. de Regim. Princ. c. 12. & sequentibus. & p. 3. q. 59. a. 4. dicit: Manifestum esse, Christo quæ homini potestatem judicariam ex Regia consequentem

quoad omnes res humanas, additque rationem argumento nostro optime accommodatam: *Cuicumque*, inquit, *committitur principale, committitur & accessorium*, omnes autem res humana ordinantur in finem *Beatitudinis*, qua est salus aeterna, ad quam omnes homines admittuntur, vel etiam repelluntur *judicio Christi*, ut patet *Matth. 25.*

Et ipsa videtur expressa *sacrae scripturae sententia Matth. ult.* *Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra.* Paulus ad *Hebr.* *Quem constituit heredem universorum.* *Apocalypf. 1. Princeps Regum terra.* *Apoc. 6. Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

Quod quidem jus Regium fundari credimus in *unione hypostatica*: sicut enim *ferro* communicata forma ignis, communicantur etiam proprietates, adeo ut *ferrum ignitum* colorem, ardorem, lucemque induat ipsius ignis, verumque sit dicere, non ignem solum, sed etiam *ferrum igni unitum* ardere, lucere, &c. ita *humanitas Christi unita* semel formae Dei, participat omnes divinas proprietates, quarum illa est capax, & consequenter etiam *supremum rerum temporalium dominium* regiamque auctoritatem, quam non voluit *Christus exercere*, quia *venerat in forma servi*, & *poenitentiae*, *humilitatis mundi*que contemptus exemplum futurus, nec aliud *verba sacrae scripturae sanctorumque Patrum* convincunt. Sed quidquid sit de hac *D. Thomae sententia*, quam verissimam credimus, & ipse *S. Doctor* manifeste veram appellat: Illud saltem negari non debet, *Humanitati Christi collatum esse dominium rerum temporalium*, quousque illud *Ecclesiae gubernandae consummandaeque Redemptioni* necessarium erat, nam, ut inquit *D. Thomas p. 3. q. 54. a. 4.* *Cuicumque committitur Principale, committitur etiam accessorium.*

Et hoc ipsum dominium aliquoties *Christus*, cum expedire videbatur, exercuit, nam *mulierem adulterij convictam* contra legis praescriptum absolvit *Joann. 8.* *Ficulneam*, quae in alterius bonis & patrimonio erat, arefecit. *Matthaei 21.* *Daemones* in gregem porcorum, qui ad alios pertinebant, immisit, & praecipites in aquas egit *Matth. 8.* Quae potestate, nisi Regia & omnibus dominante? alioquin aliena usurpasset. Sed dicit aliquis, cur ergo *Christus* non *Augustum*, non *Herodem* imperio exuit, aliosque, qui veram *Religionem* promoverent, throno imposuit?

¶. Quia voluit Ecclesiam humilitate, patientiâ, fortitudine, rerum humanarum contemptu crescere, & miraculis tantum divinaque virtute, non bello aut viribus, quemadmodum Regna solent, propagari, ut videlicet tantò magis divina potentia eluceret. Ecclesiâ in eisdem artibus, quibus opprimebatur, florente: utque fidei veritas esset omnibus indubitata, quæ per tot miranda, DEUM haberet testem, & sine armis, divitijs sapientiâque humanâ omnes convicisset: sed semel Religione constitutâ, & fide omnibus persuasâ, voluit DEUS naturalibus etiam medijs Ecclesiam conservare, & cum illa desunt, nec priùs, miracula quæri: quemadmodum videmus, naturam quidem humanam immediate à DEO productam esse, sed semel productam per naturales causas diffundi, quæ si cessent, aut homini producendo pares non sint, miraculis naturam suppleri.

VI. *Opponitur 6.* Arma Sacerdotum lachrymas & orationes, non exercitus & vim esse, ut habetur in c. *convenior 23. q. 8. & dist. 36. c. ult. c. porro 16. q. 3.*

¶. Ne lachrymis quidem summos Pontifices, Regnantem in primis, pepercisse, & causam Ecclesiæ, quàm olim sanguine, nunc etiam aquis tueri, in hoc quoque Petrum imitatos, cui lacrymas gallus expressit. Ceterum ubi præter lacrymas precèsque alia quoque remedia ad manus sunt, ea tutò adhiberi satis exempla SS. PP. & Apostolorum convincunt; inter quos Beatus Petrus repentinâ morte duos confecit, Paulus orbitate multavit, Elias igne succendit, &c. multaque alia: fac enim armis ab aliquo S. Pontificem invadi, an illi suis tantum lacrymis, & non etiam alienis armis hostem reprimere licebit? quantò ergo magis si Ecclesiam aggrediantur, in qua non corporis tantum, vel unius hominis, sed animarum, omniumque, qui in Ecclesia sunt, salus periclitatur? Quid quid ergo virium & potestatis à DEO Pontifex Romanus accepit, id omne tutandæ Religioni impendere potest, inter hæc autem, ut diximus, est etiam potestas in Reges & Regna. Cur ergo Ambrosius alijque hæc potestate non sunt usi? quia vel non poterat, vel non decebat, vel non oportuit; horum aliquid si obstat, ne summus quidem Pontifex hunc ictum, qui ultimus esse debet, vibrabit, Deoque committit semper in extrema parato.

VII. *Opponitur 7.* Ex hac in Principes, eorumque ditiones

exerc-

exercita à SS. Pontificibus potestate, multa incommoda & mala evenisse. Censuræ & anathemata in Henricum VIII. Angliæ Regem vibrata, quid aliud evicere, quàm ut jugum excuteret, Ecclesiam vastaret, proscriptâ toto Regno Religione? ijsdem Elisabetha Regina Angliæ in furorem acta sævius, quàm antè in Catholicos grassata, nec priùs desijt, quàm regio Stuartæ sanguine secures imbueret, specioso titulo, crudelitate velatâ, quòd diceret Catholicos seditionem in Reginam & Regnum moliri? Et denique nunquam sæpiùs cædes, intestina bella, Procerum discordiæ, parricidia in Gallijs observata, quàm Henrico IV. Navarræ Rege à summis Pontificibus diris percusso, Regnoque alienis exposito; non ergo potestas, quam Papæ concedimus, Ecclesiæ bonum, sed perniciem magis & excidium spectat. V. Trithem. in Chron. Hirsaug.

Resp. Exercitium potestatis, quam Pontifices Romani in Reges & Regna acceperunt, ad remedia extrema pertinere alijs consumptis, ultimisque morbis adhibenda, & instar hellebori esse; de quo Cass. collat. 17. c. 17. Quod si imminente exitiali morbo sumptum fuerit, fit salubre, ceterum absque summi discriminis necessitate perceptum presentis exitij est; sicut ergo justum bellum nemo non admittit, quantumvis innumera sint mala, quæ ex bellis proveniunt: sed majora provenirent sublato bello, datâque injurijs licentiâ; sic in casu, de quo agimus; & ipsa quæ in contrarium afferuntur, satis ostendunt: illæ enim calamitates, quæ Henrico diris percusso Galliam affligebant, Regem tandem ad Catholicam Religionem impulerunt, nunquam aliàs Regno potiturum; sic à discordijs & bellis cessatum. Elisabetha Angliæ Regina quantum absuit, ut Regno exciderit armatâ in illam potentissimâ classe? Quòd verò sapienter agitata potentior fortuna discussit, non hic error potestatis Pontificiæ, sed eventus fuit, ex quo nemo prudens sapientiam & consilium metitur.

Henricum VIII. quod attinet, sunt, qui velint, precipitatum remedium esse, plagâ necdum ferrum patiente: sunt, qui excusent. Demus peccatum esse, quid tandem sequitur? si potestatem hanc Pontifici abroges, quia aliqui aut incircumspectè, aut ex impetu potiùs, quàm ratione & consilio sunt usi: oportebit eodem modo omnes humanas artes hominumque conditiones, matrimonia, magistratus, mercaturas, immo Regiam ipsam potestatem è medio tolli, in quibus longè pluries peccatum est, quàm in illa,

quam defendimus, auctoritate: stultus sit agricola, qui segetem incendit Iolio & zizanijs mixtam. Percurre, quæ supra ex historijs produximus, videbis summos Pontifices hâc in Reges potestate feliciter usos esse, magnoque Ecclesiæ bono, quod verò malè cessarit aliquando, hic est communis rerum morbus & conditio, non semper eodem secundoque vento navigantium. Illud verissimum est, huiusmodi pœnas, interdicta, excommunicationes, depositiones, &c. cum summa circumspeditione rarissimo casu, nec citra necessitatem, explicandas esse, & chymicæ tincturæ modo, guttatim, alijsque remedijs frustra consumptis porrigendas, quod à Patribus Tridentinis prudenter omnino observatum, præmonitumque est, *Sess. 25. de Reform. c. 3. ubi: Quamvis, inquit, excommunicationis gladius nervus Ecclesiastica disciplina, & ad continendos in officio populos valde sit salutaris; sobriè tamen magnâque circumspeditione exerendus est, cum experientia doceat, si temerè, aut levibus ex causis incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parere, quàm salutem.*

VIII. *Obijciunt* 8. Patres Societatis in Gallia contrariam sententiam tenere teste Gramondo l. 15. ad annum MDCXXVI. Cùm enim Santarelli è S. I. liber quidam in lucem emerisset sub titulo: *Tractatus de hæresi, Schismate, Apostasia, & de potestate Pontificis in his delictis puniendis, &c.* In quo libro multa in Reges Pontifici tribuebantur, & specialiter, quòd in Reges hæreticos etiam pœnis temporalibus posset animadvertere, eosque, nisi errorem deponerent, regno pellere; P. Coto Provincialis, Rector Collegij Claremontani, præcipuique è Societate Theologi in jus vocati, palàm coram Senatu professi sunt, Santarelli librum à se improbari, & contrariam illi sententiam omnino teneri.

R. Santarelli librum multa complexum esse, ob quæ non Societati tantùm, sed multis alijs, & meritò displicuit: vult enim Reges ob insufficientiam, minorem regendi habilitatem, & ob quodcunque peccatum, seu iniquitatem, si non corrigat, regno moveri posse, immo etiam mortis pœnâ multari. Quæ quàm sint absurda, & populos in Principes suos aut arment, aut obsequia exuant, nemo non videt: & eo præsertim tempore Gallos offenderant, cùm recentem adhuc Henrici M. sanguinem præ oculis habebant à sicario impiè confossi. Meritò igitur Santarelli librum damnârunt: sed cùm in Senatu pressius urgerentur, mentem suam de Pontificia in Reges potestate, ut

ut edicerent; cautè semper tergiversati sunt, seque in omnem partem versarunt, responsis, aut ambiguè datis, aut aliò flexis, aut in Santarellum detortis, aut petitis denique inducijs; ne videlicet, si ad interrogata animis apertè responderent, aut judicem offenderent, aut veritatem. Sed ut rem totam, memorià quippe dignam, ut fuit, intelligas, en illam tibi ex Gramondi commentarijs totidem verbis. *Exin dicta dies Provinciali, Collegij Claromontani Reclori, & precipuis è Societate Theologis: sistuntur in judicio, interrogantur, respondent.*

Senatus. *Probaturne vobis Santarelli perniciosus liber editus in hunc titulum, Tractatus de heresi, schismate, &c.*

P. Coto pro se & socijs præsentibus; *Improbatur, supprimitur, impugnabitur contrarià mox doctrinà, quam paramus dare in publicum.*

Senatus. *Quare improbatis doctrinam, quam Societatis vestra Generalis Roma approbat?*

P. Coto. *Non negamus Roma à nostris approbatam; sed quare nobis imputatur error Transalpinus, cui nemo nostrum subscribit in Gallia?*

Senatus. *Annon in ditione sua Regi Gallia jus omne in subditos est?*

P. Coto. *Jus omne est quoad temporalia.*

Senatus. *Creditisne vos, summo Pontifici jus esse in Reges, adeò ut per Excommunicationem sacris ipsos interdicare possit, subditos Sacramento fidelitatis absolvere, Regnum in pradam dare?*

P. Coto. *Absit verbo invidia! excommunicari Christianissimum Regem? absit omen! quis credat primogenitum Ecclesia futurum aliquando Matris hostem, quam protexit semper & protegit? quis excommunicandum, qui continud pugnat heresi in Regno suo extirpanda?*

Senatus. *Ergo diversa vobis à Prapósito Societatis vestra Generali sententia?*

P. Coto. *Qui Romæ degit Prapósitus noster Generalis, vix est, ut improbare possit, quod Roma probat.*

Senatus. *illi sua opinio esto, vestra quenam est?*

P. Coto. *Planè illi contraria.*

Senatus. *Quid si essetis Roma?*

P. Coto. *Mutaretur nobis cum cælo animus, sentiremus ut Roma.*

Senatus. *Pracisè (amabo) proculq; ambagibus, & subterfugio: quid censet Societas vestra (ut universa est) de Romanæ Sedis in Reges potestate?*

Ad hæc P. Coto. *Communicandi cum socijs facultatem peti. Datur facultas. Communicant paulloq; post redeunt in hæc verba. P. Coto. Nobis cum Sorbona & Gallia Clero erit assensus in idem doctrina univocus.* Se-

Senatus. Explicate apertius mentem vestram, quanam est hac Sorbona doctrina, quam probatis?

P. Coto. Si tempus exiguum conceditis nobis, dabimus ex scripto sententiam, in quam vix est modò, ut conveniamus per angustiam temporis.

Postquam triduo deliberaverant, præcipui è Societate ad Regem missi, palàm abdicant Santarelli doctrinam publico instrumento in hæc verba concepto.

Nos subsignati declaramus, Santarellum perperàm de Regibus, & eorum auctoritate scripsisse, quam dissitemur doctrinam; agnoscimus & profitemur Regum immediatam esse à DEO potestatem, independensq; ipsis jus esse in subditos; cui sententia, ut vera, nostro omnium sanguine subscribitur si opus, non secus ac censuris, si qua à Clero Gallicano aut Sorbona in ejusmodi libros edentur. Promittimus insuper futuram nobis post hac unam, & eandem super ea questione cum Sorbona, Clero, & Regni Gallici Academijs sententiam. Actum Lutetia. 16. Martij, Anno MDCXXVI.

Non multò post P. Coto in Provincia Parisiensi Provincialis, tedio interrogatoria actionis, quæ præcipui è Societate extra ordinem pulsati fuerunt, morbo corripitur, fatiq; legem implet. Hactenus loco citato Gramondus,



§. XIX.

SUMMARIUM UNICUM.

Quando, quibusq; ex causis in particulari possit S. Pontifex potestatem in Magistratus & Principes seculares exercere?



Legantem de hac re textum habemus in Decretali ab Innocentio III. data c. per venerabilem 13. qui filij sint legitimi. Ubi summus Pontifex inter alia sic loquitur: Non solum in Ecclesia Patrimonio, verum etiam in alijs regionibus certis causis inspectis temporalem jurisdictionem casualiter exercemus, non quòd alieno juri præjudicare velimus, sed quia, &c.

Si verò quæras, quinam ergo sint casus in particulari, in quibus S. Pontifex casualiter, ut habet textus, hoc est, indirectè, & pote-

potestate extraordinariâ tantum possit jurisdictionem in materia, alioquin sæcularibus Principibus subjecta exercere.

Resp. Varios in jure Canonico describi: 1. Deficiente Magistratu & judice sæculari, qui justitiam administret, *c. licet ex suscepto. 10. de foro comp.* 2. Cùm judex sæcularis officio suo ritè, & secundum jura non fungitur, tunc enim Pontifici Romano incumbit curare, ne innocentes & justitia succumbant, *citato c. licet ex suscepto.* 3. Si per viam denuntiationis Evangelicæ ad Ecclesiam causa deferatur, tanquam ad commune asylum. *c. novit. de judic.* 4. Si Magistratus sæcularis leges ferat contra jus Divinum aut Naturale, aut Ecclesiæ noxias, pertinet ad potestatem Pontificiam eas corrigere, & contrarijs legibus abrogare, quâ ratione videmus leges civiles quàm plurimas à SS. Pontificibus mutatas, correctasque, v.g. Jure civili permittitur matrimonium inter fratrum, aut Sororum liberos. *Instit. de Nupt.* Sed prohibetur in *c. non debet. de consang.* Lege civili, quæ secundò nubunt, varijs pœnis afficiuntur *L. 1. Cod. de 2. nupt.* Sed jus Canonicum pœnas, quæ in odium reperti matrimonij sunt latæ, tollit *c. cum secundum. de secundis nuptijs.* Jure civili multas ob causas repudia sustinentur. *L. consensu. Cod. de repud.* Sed jure Canonico prohibentur *c. sunt qui 27. q. 2. & c. lege diff. 10.* Jus civile concubinatum admittit *Cod. de concub.* non admittit jus Canonicum *c. nemo blandiatur sibi. c. meretrices. 32. q. 4.* Jure civili natis ex incæstu aliove damnato congressu alimenta non debentur, debentur jure Canonico. *c. cum haberet. de eo qui duxit in matrim.* De jure civili possessor malæ fidei longo tempore præscribit. *L. cum notissimi. C. de præscriptionibus 30. vel 40. annorum.* Non præscribit jure Canonico *c. ultimo de præscriptionibus.* Testamentum de jure civili non valet nisi præsentibus 7. testibus, sed jus Canonicum hanc legem damnat expungitque *c. cum esses c. relatum, de testamentis.* Denique lex civilis maleficos, qui venenis, malisque artibus Reipublicæ nocent, punit quidem, sed qui imbres, ventos, grandines incantationibus abigunt, non tantum non punit, sed præmio donat. *L. eorum 4. Cod. de malef.* Quæ omnia sacris Canonibus damnata sunt, & videri possunt quàm plurimi textus *causa. 26. q. 2. & S. Thomas 2. 2. q. 96. & Novella Leonis 65.* Sunt tamen, qui velint in *L. eorum 4. cit.* Non approbari magicas incantationes, sed sacras agrorum lustrationes, quæ per publicas preces & supplicationes ac sancto-

rum suffragia fieri solebant juxta Novellam 123. c. 32. §. Princeps
 sæcularis jure naturali, & spectato genere suæ potestatis potest
 subditis suis impedimenta matrimonij dirimentia statuere, ex qua
 enim parte matrimonium est contractus, subjacet potestati & le-
 gibus civilibus, & quantumvis elevatum fuerit ad numerum Sa-
 cramentorum, non idèd tamen amittit naturam contractûs, & sub-
 ordinationem ad potestatem civilem; sicut enim matrimonium ut
 contractus admittit nova impedimenta à Magistratu Ecclesiastico,
 quale est impedimentum Clandestinitatis, non obstante ratione Sa-
 cramenti, quod immutabile est; ita etiam à Magistratu civili; &
 expressè docet S. Thomas 4. contra Gentes c. 78. Sanchez. lib. 7. de ma-
 trim. disp. 3. n. 2. Nihilominus tamen Ecclesia hujus potestatis usum
 Principibus sæcularibus interdixit, sibi que reservavit, sicut patet
 ex c. tuam. de ord. cognat. c. 1. de sponsalib. c. Euphemium. 2. q. 3. c. multorum
 35. q. 6. & novissimè Trid. sess. 24. de matrim. cap. 3. 4. & Can. 12. Et
 potuisse quoad hoc Ecclesiam coercere potestatem temporalem,
 eamque moderari propter bonum spirituale, & gravia incommo-
 da, quæ alioquin sequebantur, expressè agnoscunt duo celeberrimi
 & sanctissimi in Gallia Doctores videlicet D. Thomas & S.
 Bonaventura. An verò consuetudine nova possint impe-
 dimenta induci, an antiqua abrogari vide Sanchez lib. 7. disp. 4. de matrim.





§. XX.

Quam censuram mereatur prima Conventus
Parisiensis propositio.

SUMMARI A.

1. Censura S. Gregorij VII.
2. Bonifacij VIII.
3. S. Thoma & S. Antonini.
4. Nicolai Sanderi.
5. S. Bernardi.
6. Cesaris Cardinalis Baronij.
7. Cardinalis Peronij, & totius Cleri Gallicani.
8. B. Augustini Triumphii.
9. Francisci Suarezij, & Gregorij de Valentia.
10. Ex premisis conficiitur, Parisensem propositionem ne ut probabilem quidem sustineri posse.
11. Respondetur ad objecta.

Nostrum equidem non est, aliorum opiniones in jus & forum vocare, illisque poenas & exilium dicere, aut censuras notamque dictare: hoc enim ad supremum Ecclesiae Magistrum pertinere cognoscimus. Nostrarum ergo partium erit, quae de hac propositione alij censuerint, in medium proferre, & à prima Sede ultimum iudicium expectare.

I.



Anctus Gregorius VII. lib. 4. Registri epist. 2. sic loquitur: Considerent, cur Zacharias Papa Regem Francorum deposuit, & omnes Francigenas à juramenti vinculo absolvit? sed foris volunt, quod quando Deus Ecclesiam suam beato Petro

commisit, Reges excepit: cur non attendunt, vel potius erubescendo contententur, quia Deus, ubi B. Petro potestatem ligandi dedit, nullum excepit, nihil ab ejus potestate subtraxit, & qui hoc imprudenter negat, se à Christo omnino sequatur, &c.

II. Bonifacius VIII. in Extravagante, unam sanctam, de Major. & obed. postquam dixisset, Beato Petro utrumque gladium commissum esse, temporalem videlicet & spiritualem; temporalem auctoritatem spirituali subiectam esse, eamq; divino ore à Christo Domino per illa verba Petro ejusq; Successoribus commissam: quodcumq; ligaveris, &c. Subjungit: Quicumq; huic potestati à Deo sic ordinata resistit, DEI ordinationi resistit: porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, & definimus.

III. S. Thomas opusc. 20. de Regimine Princ. lib. 3. c. 19. dicit sententiam, quam defendimus, esse Manifeste veram: & cap. 10. ejusdem lib. Si plenitudo potestatis, inquit, S. Pontificis dicatur referri ad solam spiritualem potestatem, hoc esse non potest, quia corporale & temporale ex spiritali & perpetuo dependet, si ut corporis operatio ex virtute anima est. S. Ant. 3. p. Summa Tit. 22. §. 17. c. 5. Qui dicunt Papam in toto orbe terrarum Dominium habere super spiritalia tantum, non autem super temporalia, similes sunt consiliarijs Regis Syria, & adulatione pestiferà seducunt Reges, &c. Et Christiani Principes bellantes contra Ecclesiam vel persequentes Papam exterminati sunt, & ad inferos descendunt, &c.

IV. Nicolaus Sanderus in lib. de visibili Monarchia Ecclesia lib. 2. c. 4. Cùm ostendisset toto hoc capite, in certis casibus Reges & Imperatores ab Ecclesia coerceri, deponique posse; Non video, inquit, quin communem sensum in rebus DEI judicandis perdiderit, si quis contendat spiritualem Ecclesia potestatem terrana Regum potestati non praeesse; nam si neutra praesit alteri, quomodo in una Ecclesia manent unita? aut quomodo uniuntur, si adhuc ita distincte manent, ut neutra possit alteri imperare? aut quis unquam in uno corpore animalis duo prorsus distincta membra, in eodem loco & honore disposita vidit?

V. S. Bernardus lib. 1. de considerat. c. 6. Mihi tamen non videtur bonus estimator rerum, qui indignum putat Apostolis, vel Apostolicis viris non judicare de talibus, quibus datum est de majoribus, &c. Denique ubi necessitas postulat, audi quid censeat, non ego, sed Apostolus; si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis?

VI. Cæsar Cardinalis Baronius tomo 9. Annal. quem Henrico magno Gallia & Navarra Regi dedicavit, vir summâ doctrinâ, pietate,

tate, moderatione ad annum 800. n. 14. loquens de translatione Imperij in Carolum magnum à Leone III. facta. Quod autem, inquit, ex convenientia, utilitate exigente, & necessitate poscente, factum diximus, id ipsum ex instia Romano Pontifici concessa divinitus auctoritate fuisse impleum pariter affirmamus. Neget si quis ista, planè impius & infidelis, ac rerum Ecclesiasticarum planè rudis esse convincitur.

VII. Cardinalis Peronius apud Gramondum lib. 1. anno 1615. ore totius Cleri Gallicani, ut idem testatur Gramondus, propositionem, quam impugnamus, dicit esse novam, Luthero, & Calvino fautoribus natam, cui veterum subscripsit nemo, recentiorum pauci, errorem esse, qui Henrico Anglia Regi via in haresin suerit, &c.

VIII. B. Augustinus Triumphus Anconitanus in proemio libri de potestate Ecclesiast. Error est, inquit, pertinaci mente non credere Romanum Pontificem universalis Ecclesie Pastorem, supra spiritualia & temporalia universalem non habere primatum.

IX. Franciscus Suarez de legibus l. 3. c. 6. n. 3. Nihilominus sententia est, summum Pontificem non habere directam potestatem temporalem in universum Orbem: ut etiam hac sententia verè & catholice intelligatur, advertendum est, aliud esse omnem potestatem etiam supremam in illo ordine (temporali) esse subiectam potestati S. Pontif. aliud verò, quòd summus Pontif. habeat directam potestatem temporalem distinctam à spirituali, per quam per se directè possit civiliter gubernare totam Ecclesiam: nam illud primum verum & certum est, non tamen propter temporalem potestatem Petri, sed propter spiritualem, & cui temporalis in ordine ad finem illius subijcitur. Idem Suar. de fide d. 20. sect. 3. n. 21. Dico potestatem puniendi hæreticos etiam temporalibus & corporalibus potest. jure divino esse in Pastoribus Ecclesie, præsertim Romano P. & contraria sententia est erronea, & defensores ejus ad minimum esse suspectos de heresi. Et ne fortè aliquis puret, Suarezium loqui de potestate in hæreticos, exceptis tamen Regibus & Principibus, n. 26. hos ipsos expressè comprehendit, & subdit: Est ergo hac potestas in Ecclesiam omnino universalis quoad omnes personas, & ab ipso Christo immediate tributa. Gregorius de Valentia Tom. 3. d. 1. q. 12. p. 2. concl. 2. De hac nostra sententia dubium est nullum apud verè Orthodoxos.

X. Nos à censuris calamum abstinemus, quorum est veritate contentos judicium expectare, non prævenire. Tantùm ergo illud dicimus, propositionem contrariam, Theologicè loquendo, hoc est, veritate, ratione, sacris litteris, SS. Canonibus concilijsque

spectatis ne quidem ut probabilem sustineri posse. De politica enim probabilitate, quam Clerus Gallicanus apud Gramondum passus est huic sententiæ prætexi, non est, ut curemus; cum neque nobis Politicos agere, nec Episcopis, qui Parisiensi Conventui præfederunt, animus fuerit: conscientiæ nim. & veritati, non aula & favoribus scribimus.

Ergo nullam illi propositioni probabilitatem adesse, ex jam dictis aperte constat: si enim verum est, quod scribit B. Gregorius VII. à Christo sequestrari, qui Pontifici hanc potestatem negant; ergo nulla est probabilitas huic sententiæ, alioquin à Christo aequè non sequestraret, ac aliæ opiniones probabiles. Innoc. III. in c. novit. de judicijs, dicit hanc nostram sententiam esse *indubitatum & certam*: ergo huic opposita desinit esse probabilis, alioquin hujus probabilitas alteri certitudinem adimeret: quod enim certo opponitur, non est probabile.

S. Thomas *opusc. 20. de Regim. Princip.* dicit: sententiam, quæ hanc summam & indirectam potestatem Pontifici asserit, esse *manifestè veram*: oportet ergo eam quæ negat, non esse probabilem: quemadmodum v. g. Si hæc propositio: *Nix est alba*: est manifestè vera; ejus contradictoria: *Nix non est alba*: non est probabilis. Idem S. Doctor *loco cit.* scribit, *fieri non posse*, ut auctoritas, & Potestas Pontificia *ad sola spiritualia referatur, & non ad temporalia*: Si ergo ex mente D. Thomæ hæc propositio: *Potestas Pontificia ad sola spiritualia, non verò ad temporalia refertur*, esse vera non potest; ergo nec est probabilis: quod enim est probabile, id verum esse potest: quemadmodum hæc propositio: *Imperator Romanus Turcas debellabit*; quia est probabilis, idèd vera esse potest: hæc verò: *Titius digito calum tanget*: esse vera non potest, & idèd nec est probabilis.

Omittimus alia ex allegatis DD. quia per se clara.

Et omnino si naturam, & effectus probabilitatis examines; apparebit continuè opinionem, quam impugnamus, frustra niti, ut probabilis evadat, & hoc saltem colore oculis eorum placeat, qui probabilium opinionum amicos se profitentur.

Opinio enim probabilis est, quæ in nullam apertam, & manifestam legem impingit: cum enim omnis lex sit regula & mensura honestæ actionis, quidquid legi repugnat, est aperte & manifestè malum, ac illicitum, & consequenter nullam habet honesti
ratio-

rationem aut probabilitatem: quemadmodum enim, quia linea aut regula est recti mensura, & idēd quod à linea secedit, rectum non est, sed necessariò curvum; ita quidquid à certa & manifesta lege declinat, necessariò est malum, & nullam probabilitatis speciem obtinet: Propositio autem, quam impugnamus, repugnat sacris litteris juxta legitimam explicationem SS. Patrum, ut ostendimus; factisque Canonibus & Concilijs, & praxi etiam sanctissimorum hominum, quæ omnes sunt regulæ veritatis & honestatis. Et præsertim urgent Textus Conciliorum universalium, Lateranensis, Constantiensis, Viennensis, & Lugdunensis, in quibus, & nominatim in Lugdunensi, ut habetur *c. 2. de sentent. & re judic. in 6. re maturè, & conciliariter discussâ, auctoritate Apostolicâ, sententia depositionis in Imperatorem pronuntiata est, solutiq̄ue omni juramento subditi: & quamvis non verbis, & in actu signato hanc sententiam Concilia definiverint, id tamen ipso facto & in actu exercito deciderunt, quando adhibitâ omni consultatione, solemnitate, & auctoritate, quæ definitionibus adhiberi solent, allatisq̄ue etiam auctoritatibus sacra scripturæ sententiam in Reges dixerunt; sunt enim paria, facto, vel verbo aliquid definire. *L. non tantum s. ff. rem ratam haberi. L. de quibus causis. ff. de legib. immo plus est facto, quàm verbis consensum exprimere, per Legem. si tamen 48. ff. de Edilit. Ed. §. 3. & argum. c. 1. de Appellat.**

XI. *Nec obstat* 1. Si quis dicat: & Concilium & Papam in ijs, quæ sunt facti errare posse: in textibus verò Canonicis suprâ allegatis, quæstionem tantum facti agitatam esse, an videl. Principes, de quibus illic agebatur, ea fecissent, ob quæ imperio abdicari possent.

2. Sententias in Concilijs contra Imperatores dictas & jus & factum complexas esse: factum quidem, quia Regibus imperium abrogabant ob delicta ab ijs commissa: jus verò, quia sententia in Principes dicta, ijsque auctoritate exutis, subditisque juramento liberatis, hoc ipso Concilia, implicite quidem, sed tamen necessariò supponebant, auctoritatem & potestatem id faciendi penès Ecclesiam esse: sicut, v. g. qui dicit: *Petrus currit*: hoc ipso & necessariò, sed implicite dicit: *Petrum currere posse*: definitâ enim unâ propositione, definita etiam censentur, quæ cum illa necessariò connexæ sunt; quid enim magis à vera, rectaq̄ue ratione alienum

num dici posset, quàm Ecclesiam, cùm definivit Spiritum S. à Filio procedere, non etiam definivisse Spiritum S. posse à Filio procedere: vel quod idem est: in Filio potentiam spirativam esse, per quam possit Spiritus S. ab eo procedere? ergo hoc ipso quod Innoc. IV. in Concilio Lugdunensi declaravit, Henricum Imperatorem auctoritate Apostolicâ imperio privatum, ejusque subdito s omni juramento solutos esse, declaravit etiam, esse penès Apostolicam sedem auctoritatem potestatemque, eum imperio privandi, ejusque subditos juramento absolvendi, quo prius tenebantur; quæ Declaratio ad jus, non ad factum pertinet; Immo in Concilio Lateranensi IV. sub Innoc. III. *c. de heret.* & Concilio Constant. expressè dicitur: *Principes si hæresis convincantur, regno & sacris interdici posse;* quæ definitio, ut patet, est meri juris, & abstrahit à facto exercito, in quo tantum error contingit. Deinde advertunt Theologi, Concilia & Pontifices etiam in facto errare non posse, quando factum est evidens conciliariter, omniq̃ue adhibitâ diligentia examinatum, testimonio publico nixum, & cujus error Ecclesiam in perniciem adduceret; tunc enim locum habet illa Christi promissio Joann. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem:* & ita communiter tenent, docentque Theologi, Pontificem & Ecclesiam in Canonizatione Sanctorum, in proponenda hac vel illa scriptura Canonica, & in hac vel illa traditione Apostolica explicanda, errare non posse, quæ omnia, ut patet, dependent ex facto & testimonio hominum ex se fallibili, nisi Providentia divina Ecclesiæ suæ caveat.

Non obstat 2. Summos Pontifices & Concilia, cùm Principibus Regnum abrogârunt, secutos fuisse sententiam probabilem, quæ habet, eos hoc posse; non ergo sequitur hanc sententiam esse certam, sed tantum probabilem, & fuisse à Concilijs ut talem suppositam.

3. Nihil posse tam Augusto Reipubl. Christianæ Senatu, & cui ipse Spiritus Sanctus præsidet, indignius dici, quàm voluisse illum in re tanti momenti, in qua non de Imperijs tantum & coronis, sed de tot bellis, schismatibus, animarum Ecclesiæque periculis agebatur (quæ omnia ex illis in Reges sententijs & abdicationibus plerumque nascebantur) ad miserum illud opinandi præsidium confugere, quo in scholis nihil incertius, tantasque in
Eccle-

Ecclesiam, mores, legesque omnes corruptelas induxit, ut saepe interdīcta, execrationesque Rom. Pontificis provocaverit, nullamque ferē humanam, divinamque legem reliquerit, non aliquo abusu fēdē corruptam; & utinam fallat augurium! huic opinandi licentiā, nisi remedio aliquo Ecclesia occurrat, vix credimus alio malo elapsis retrō sæculis gravius afflictam esse: cujus jam tot indicia & prognostica experimur, omni in commercijs, fœderibus, juramentis, judicijs præceptisque sublatâ sinceritate. Absit ergo, ut dicamus Ecclesiam totam, & Concilia universalia in re tanta, summi que momenti, suæ auctoritatis incertam, Regibus & Imperijs litem movisse: nec enim Regna & coronæ opinionibus dari possunt, adimique, sed certo jure, certâque ratione: quis enim coronæ, sceptri que securus, & sine metu viveret, si opinionum ventis paterent, nunquam Papæ, aliisve Principibus probabili, eorumque judicio magis etiam probabili ratione defuturâ, quâ Regnum alterius invadant? & ideo docet Vasq. *in 1. 2. Tomo 1. d. 64.* nullum Principem etiam supremum in Controversia tantum probabili; aut etiam probabiliori posse sententiam ferre, eamque armis, & bello prosequi, nisi jus evidens habeat, & contrarium dicit nihil probabilitatis habere, nec in parvam Reipublicæ Christianæ perniciem & detrimentum cedere: quod maximè verum est, cum alter Princeps, cui bellum infertur, & de quo spoliando agitur, in certa securaque possessione Regni sui est: negatque ex eodem capite posse justum bellum utrinque dari, nisi per accidens & causâ ignorantia invincibilis; & idem, in casu, quo alter possidet, docet & supponit Laym. *de Conscientia* §. 3. n. 25. tamquam certum. Et ratio est, quia legitima Possessio operatur præsumptionem juris & de jure pro Possidente. *Instit. de interd. §. retinenda. 4.* contra quam Præsumptionem ex communi omnium Doctorum non admittitur ulla probatio, nisi tantum ex evidentibus: & cum jus possessionis pro possidente sit certum, jus verò ex magis probabilibus sit adhuc incertum: (cum omnis probabilitas sit opinativa & involvens formidinem, & consequenter dubium) & naturali & humano juri consonum est: jus certum incerto prevalere, maximè in materia Justitiæ L. Divus. *ff. in integr. Restit. c. transmissa 3. qui filij sint legitimi. V. Molin. Tomo 1. tr. 2. d. 163. Vasq. 1. 2. d. 66. c. 7. Sanchez. l. 1. moral. c. 10. n. 9. Laym. l. 1. c. 5. n. 42.*

Eodem pacto legibus statutum est, neminem ex solis probabilibus damnari posse, sed plenè & manifestè convictum, idque præsertim in causis gravibus & valde arduis, in quibus probabilia non sufficiunt; sed requiruntur apertissima, indubitata, & luce meridianâ clariora argumenta, ut dicitur *L. ult. C. de probat.* Quæ omnia eò tendunt, ut ostendamus non potuisse Pontifices, & Concilia universalia ad Reges Imperio exturbandos, solvendosque juramento & obedientiâ subditos procedere, nisi potestatis suæ certos, non tantùm probabili aliquâ opinione ductos; ex quocunque enim capite jus deponendi Reges evadat dubium, & incertum, ex eodem sententia in Reges lata injusta fuerit, (quod nefas est de Concilijs illis universalibus vel cogitare) maximè si defectus ex parte potentiæ & auctoritatis contingat, qui reddit sententiam omnino nullam usurpatamque; quamvis enim probabilis Doctorum opinio tribuat jurisdictionem teste *Less. l. 2. de J. & J. c. 29 n. 68. id fallit, cum agitur de gravissimo alterius præjudicio, ut idem l. 2. c. 31 n. 10. & c. 41. n. 76. circa f. Sanchez multiq̃ue alij apud ipsum in Decalog. l. 6. c. 3. n. 23 & 24. docent.* Jus imperandi & debitum obsequendi correlativa sunt: si ergo in Ecclesia jus imperandi, & auctoritas exautorandi probabilis tantùm est; æquè debitum obsequendi, parendique probabile & incertum erit: ut ergo poterant Pontifices & Concilia probabiliter Regibus imperare, ut Regno excederent; poterant Principes subditiq̃ue imperata non facere, irrito, vanoq̃ue Ecclesiæ impetu, perinde ac si aliquem carceri includas, dato apertoq̃ue à tergo ostio, ut evadat: quis credat Deum Ecclesiæ suæ non meliùs providisse? aut illam potuisse excommunicationibus, censurisq̃ue, quæ peccatum mortale supponunt, & alijs pœnis Reges ac subditos ad id compellere, quod illi probabiliter, hoc est, sine culpa poterant non agere? aut quis, nisi fortè apud barbaras nationes, audivit, puniri aliquem, & tam graviter sine culpa posse; aut culpam esse, si eodem jure, quo alter, utâris, quale est probabiliter imperanti, probabiliter obistere: incerto jure agentem, incerto jure frustrari? Quod si hæc in Reges potestatories, & tam sanctè in sacris canonibus repetita, exemplis exercita, SS. PP. & Doctorum testimonijs asserta, adhuc probabilis tantùm, nec certa est, quæritur quid ergo in sacris Canonibus certum sit, & cui tergiverari non liceat? erit e. go probabile tot sanctos Doctores, quibus doctrinâ vix

parca

pares in Ecclesia reperias, aut ignorantia falsum, aut adulatione dixisse, hoc est, aut minus, quæ scriberent, intellexisse, aut minori fide consignasse, quam hæc tempestate pauci multum infra illorum sanctitatem, doctrinamque positi.

Denique si non probabile tantum, sed certum est, artem medicam, cui sanitas pro fine est, ad omnia sanitati accommoda; artem nauticam, cui navigatio proposita, ad omnia, quæ ad feliciter navigandum sunt necessaria; opificis industriam & artem, ad omnia, quæ operi suo deserviunt, extendi; eodem modo dicendum erit, potestatem Ecclesiasticam, & spiritualem ad omnia illa proferri, quæ Ecclesiæ æternæque salutis, aut obsunt, aut profunt, & consequenter ad omnia etiam Imperia, Regna, & bona temporalia, quando & quo casu in hunc finem diriguntur. Si verò sententia, quæ hanc S. Pontifici indirectam asserit potestatem, videatur Principibus probabilis tantum, non certa, adhuc nihilominus tenentur illi subjacere, quia juxta omnium sanctorum Patrum & Theologorum sententiam, in dubio an res præcepta sit licita, & superior limites suæ potestatis excedat, tenemur obedire, quamdiu non apparet evidenter esse præceptum de re mala & extra limites potestatis: Sanchez in Decalogum quam plurimos citans l. 6. c. 3. n. 3. & 4. Silvester in summa, dicens regulam esse D. Thomæ. Et habentur quàm plurimi Textus SS. Patrum c. in memoriam d. 19. c. quid culpatur 23. q. 1. c. contra morem d. 100. Cujus ratio est, quia justus Superioris semper justus præsumitur, c. 24. de Reg. I. in 6. L. Servo 65. S. cum Prætor. 2. ff. ad SC. Treb. & l. 7. sicut is. ff. ne quid in loco publico. Et eleganter S. Gregorius M. homil. 26. in Evangel. Sub magno moderamine pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare. Sed utrum justè, an injustè obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est; ne is qui subest, & cum injustè forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injustè; nec Pastoris sui judicium temere reprehendat, ne etsi injustè ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, qua non erat, fiat.

Si ergo Pontifex aut Concilium Generale, quorum judicio Principes subsunt, servatis servandis Principes per sententiam abdicent, & subditos juramento solvant, declarentque juramentum hæc & nunc cessare: nec ad culpam obstringere, immo culpam fore illud observari: Cum in his omnibus vertatur causa spiritualis &

Ecclesiastica, quousque videlicet Potestas Pontificia & sacra se extendat? an etiam ad media fini spirituali deservientia, res nimirum, & bona temporalia? agaturque de peccato & obligatione juramenti; tenebuntur utique Principes; quamquam ipsi dubitant de hac potestate, superiori Ecclesiastico, intra suam sphaeram agenti obtemperare: nam si egrediatur, certum est non teneri per elegantem discursum S. Th: 2. 2. q. 104. a. 5.

Si an jus Regalia, custodiaque Ecclesiarum ad Reges pertineat, secularis est fore cognoscere, ac sententiam proferre, & regio senatui unice reservatur, & Episcopi Prælatique, qui hoc negant, veluti perduelles, ac Regni turbatores à Parlamento pœnas luunt, neque hoc fines temporalis potestatis excedere in Gallijs creditur; quanto minus si potestas Ecclesiastica in plenis liberisque concilijs, de suis terminis statuatur, & quod ipsi in Episcopos, illa in Reges, cum merentur, pronuntiet?

Leslius quidem & Sanchez, alijque proximè citati scribunt, non teneri subditum superiori suo imperanti obedire, cum id sine magno corporis, honoris aut fortunarum damno haud potest: Verùm hæc doctrina nihil obstat sententiæ nostræ, cum hæc omnia incommoda & damna à Principibus caveri possint, si videlicet Ecclesiam audiant, ad officium redeant, & causas obliterent, emendentque: tunc enim purgatâ contumaciâ, Ecclesia pœnas, quæ medicinales sunt, velut extincto morbo, revocabit, & ipsi Regnis restituentur: nec aliter Pontifices possunt, cessante causâ necessitatis bonique publici, ob quæ solum in Reges armare licet. *V. c. ii. de Constit.* & habemus in Henrico M. Galliæ Regè præclarum exemplum, qui ob relapsum in hæresin, societate fidelium & Regno prohibitus, ubi de Religione cavuit, eamque amplexus est, continuo censuris pœnisque caruit, Regnum sine lite accepit, ingentibusque bellis turbisque finem imposuit, & Regibus exemplo fuit, non esse culpam Ecclesie, si hac potestate suâ fungente Respublica turbetur. Ergo ut omnia simul dicamus, aut oportet dicere non unius tantum, sed tot Pontificum Conciliorumque sententiâs in Reges, iniquas injustasque fuisse, quod nemo nisi imprudentissimus dicet, Galli præsertim, qui Concilia tam effusè commendant: aut si justæ fuerunt, oportuit illis obtemperare Reges, cum jus imperandi & obsequendi, tam fiat correlativa, quàm jus exigendi: & debitum solvendi.

di: implicetque jus exigendi, absque debito solvendi, & docuit expressissimè D. Th. 2. 2. q. 69. a. 1. ab omnibus Theologis admissus, tunc saltem, cum ex una parte plurimum interest iudicis imperium & sententiam observari, ex altera nullum observanti damnum, nisi voluntarium impenderet; Nec ullius magis, quàm Episcoporum Regumque interest hanc sententiam teneri; cum enim Principum Leges, præcepta, impositiones tributorum, &c. raro evidenter, & luce clariùs sint iustæ, quis subditorum? nemini quippe dubitandi, & hoc ipso repugnandi ratio, & prætextus deerunt.

Nec obstat 3. Propositionem contrariam saltem ab auctoritate eorum, qui illam tenent, probabilitatem mereri.

R. Mensuram & regulam honesti, & veri esse legem, non nomina Doctorum, quorum opiniones si ab hac regula flectant, tam nequeunt esse veræ, honestæque: quàm paries, aliudve corpus nequit esse rectum, si à linea & amissi excedat. Auctoritas docentium ex eo capite pretium aliquod & pondus habet, quia non præsumuntur aliud, quàm leges dicere: Si ergo hæc præsumptio cessat, & evidenter appareat Doctores cum legibus pugnare, præsumptio veritati cedit, & auctoritas illa præsumptione nixa penitus vanescit, habetque locum illud D. Pauli *ad Galat. 1. v. 8. Sed licet nos aut Angelus de caelo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Et illud D. Augustini *d. 9. c. 4. Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo iudicio, & nulla temeritate damnari.* Similia habentur *c. 5. & c. 8. eadem d. & L. unica c. de interlocut.* Si enim sola auctoritas nomenque Doctorum probabilitatem opinionibus donet, quos tu errores, aut futuros aut præteritos invenias, qui non probabiles dici debeant, cum Magistris & Sectatoribus non caruerint doctrinam & auctoritate claris? ergo ut nummis, non numerus aut inscriptio, sed pondus, & metallum pretium addunt; ita sententijs non numerus aut nomen Doctorum, sed rationes, & Canones, & cum Patrum doctrinis harmonia, probabilitatem, & auctoritatem afferunt, dicente scripturâ *Proverb. 22. 28. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Et *Ecclesiastici 10. 8. Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.*

FINIS LIBRI PRIMI.

Rr 3/

LIBER